STVDIOSORVM FRANCO-FORDIENSIVM AD ODERAM

DE NOVAE OBEDIENTIAE NE-
CESSITATE,

DE LEGE,

DE LIBERTATE CHRISTIA-
NA,

Confeßiones & defensiones

Diuersæ tamen â Germanicô scri-
pto paulò ante edito, quoad te-
stimonia, quæ ex latinis
scriptis collecta
sunt.

Contra ueteres & recentiores

ANTINOMOS, LIBER-
TINOS & ENTHV-
SIASTAS.

VVITEBERGÆ

ANNO M. D. LXIII.

OMNIBVS PIIS SALVTEM PRECAMVR NOS ACADEMIAE Francofordiensis Studiosi.



EDIDimus his diebus Germanicum quoddam scriptum continens & confessiones & defensiones nostras de tribus doctrinæ Christianæ capitibus, quorum etiam in huius scripti titulo mentio est facta. Id pio studio â nobis cum collectum est, tum euulgatum, de quo quidem in præfatione eiusdem scripti, quantum potuit, protestati sumus.

Nunc uero latina quoque testimonia de ijsdem articulis ex latinis scriptis orthodoxis & authenticis collecta legenda exhibemus. Non tantum enim in Germanicis explicationibus, uerumetiam in latinis ea

doctrinæ ſumma continetur, quo-
rum utrumq; conſideratu dignum
eſt, & ad firmiorem in iſtis materijs
πίστιν non parum habet momenti.

De occaſione uero & fine cum collectionum tum euulgationum iſtarum, etſi poterat aliquid hoc loco exponi, tamen cum in præfatione Germanici ſcripti fecerimus ea de re officium noſtrum, non uolumus nunc, nec eſt, ut arbitramur, neceſſe unam eandemq; denuo canere cantilenam, & eadem oberrare chorda. Non enim ignoramus, quam ſit hoc faſtidioſum, adeo ut uulgari etiam παροιμίᾳ reprehendatur, Crambe bis poſita mors eſt.

Idem de cæteris quoq; capitibus, quæ in eadem præfatione complexi ſumus, animus nobis eſt & uoluntas. Quo fit, ut totum illud in medio nunc relinquamus, cum hac tamen admonitione ſeu potius petitione, ut ij, qui litis iſtius hiſtoriam ex aliqua parte cognitam perſpe-
ctamq;

ctamq; habere cupiunt, prefationem
illam uel repetant denuo uel adhuc
introſpiciant, ſiquid antea præter=
miſſum fuit.

Hoc uero nunc addemus, quod
in tota iſta diſputatione & antea fue=
rimus & nunc quoq; ſimus παραστά=
ται Abdiæ Prætorio in illa ſenten=
tia, propter quam ab Antinomis, Iſ=
lebio uidelicet & Muſculo, impeti=
tus eſt, & quam non tantum uiua
uoce uerumetiam ſcriptis publicis
& priuatis ad periculum uſq; non ſi=
ne cruce defendit. Imo deinceps eti=
am tales nos futuros liberrime pro=
fitemur, quamdiu comes nobis ipſa
fuerit uita: in quo tamen non no=
bis nec noſtra præſumptione, ſed
Deo nitimur, ſicut ſcriptum eſt, Sine
me nihil poteſtis facere. Scimus
enim hanc ipſam doctrinæ formam
eſſe immotam æterni Dei ſapienti=
am & uoluntatem ex ſinu Dei per
Filium allatam, & in uerbo Dei re=
uelatam, contra quam ne quidem

 infero=

inferorum portæ, multo minus Islebius & Musculus præualebunt. Secuti igitur eam, quam diximus, sententiam, quæ est communissimus & perpetuus ueræ Ecclesiæ consensus, ex toto pectore scientes & uolentes, & quidem Spiritu liberrimo sine ulla uel coactione uel affectione non tantum ab Antinomicis furoribus & crudelissimis delirijs abhorremus, uerumetiam perfecto odio detestamur, semperque Deo uolente detestaturi sumus.

Non deerat nobis nec materia nec animus homines istos historico more depingendi redactis in ordinem & commemoratis historijs quibusdam rerum memorabilium ab utroque ab annis triginta circiter petulantissimé & indignissimé gestarum. Sed relinquimus ipsis adhuc pœnitentię locum, quem Deus etiam peccantibus concedit: Et oramus interim Deum, ut agat

cum

cum illis, non quemadmodum cum Pharaone, quem indurauit, sed potius quemadmodum cum Petro, quem benignis oculis aspexit. Si tamen in criminationibus suis, quas pro concionibus ad insaniam usque effundunt, progressi fuerint, fieri fortasse poterit, ut & audiant & uideant, quod neque uolunt libenter neque putarant, iuxta uetus dictum, Qui dicit, quæ uult, quæ non uult, audiet: Vel potius iuxta Christi dictum, Qua mensura mensi fueritis, eadem remetientur uobis.

De testimoniis autem utriusque scripti unicum hoc prætereundum non est, quod ea tantum, quæ nobis obuia fuerunt, collegerimus, ita tamen, ut interdum prætererimus nonnulla, quæ certè non pauca fuerunt. Possent autem longè plura ex omnibus orthodoxis scriptoribus, & præsertim ex recentiorum Theologorum scriptis coa-

 ceruari,

coaceruari, si quis horum catalogo contentus non esset. Sed oportet in talibus quoque modum aliquem esse, sicut in uetere uersiculo dicitur, Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum. Reliqua uero, quæ á nobis preterita sunt, alijs commendamus, cum nec dubitemus nec ignoremus singulos sibijpsis in talibus abunde satisfacere posse.

Interim hoc persuasissimum omnibus esse debet, quod in uera filij Dei Ecclesia à primis eius initijs usque ad hoc temporis momentum prorsus non fuerit aliud doctrinæ genus in istis materijs, neque futurum sit aliud, sicut Christus ipse dicit, Donec transeat coelum & terra, iota unum aut apex unus non præteribit â lege. Itaque de doctrina illa recte & uere dicitur, quod sit perpetuus Ecclesiæ consensus & immota ueritatis norma, à qua nec discessit Ecclesia,

sia, nec discedet unquam, quamdiu in filij Dei ouili manebit.

Quod superest, æternum Deum, Patrem uidelicet cum Filio & Spiritu sancto, ardentibus uotis precamur, Primum, ut Præceptoribus nostris & uoce & cruce puram doctrinam contra clamores rusticorum temulentorum & contra uenenatos glirium morsus defendentibus clementer adsit, quo in ueræ sententiæ professione etiam contra portas inferorum uera fide & conscientia bona sanctam innocentiam & constantiam ad finem usque retineant: Secundo, ut cum hostibus agat pro sapientissima sua uoluntate, ita ut eos uel ad societatem Ecclesiæ reducat, uel tandem penitus pessundet, quo cæteri discant Deum timere & à corruptelis uerbi diuinitus traditi abstinere: Tertio, ut aperiat oculos cœcorum & linguam mutorum, in gloria Dei dif-

 funden-

coaceruari, si quis horum catalogo contentus non esset. Sed oportet in talibus quoq; modum aliquem esse, sicut in uetere uersiculo dicitur, Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines, Quos ultra citraq; nequit consistere rectum. Reliqua uero, quæ á nobis prçterita sunt, alijs commendamus, cum nec dubitemus nec ignoremus singulos sibijpsis in talibus abundè satisfacere posse.

Interim hoc persuasissimum omnibus esse debet, quod in uera filij Dei Ecclesia à primis eius initijs usq; ad hoc temporis momentum prorsus non fuerit aliud doctrinæ genus in istis materijs, neq; futurum sit aliud, sicut Christus ipse dicit, Donec transeat cœlum & terra, iota unum aut apex unus non præteribit â lege. Itaq; de doctrina illa rectè & uerè dicitur, quod sit perpetuus Ecclesiæ consensus & immota ueritatis norma, à qua nec discessit Ecclesia,

ſia, nec diſcedet unquam, quamdiu in filij Dei ouili manebit.

Quod ſupereſt, æternum Deum, Patrem uidelicet cum Filio & Spiritu ſancto, ardentibus uotis precamur, Primum, ut Præceptoribus noſtris & uoce & cruce puram doctrinam contra clamores ruſticorum temulentorum & contra uenenatos glirium morſus defendentibus clementer adſit, quo in ueræ ſententiæ profeſſione etiam contra portas inferorum uera fide & conſcientia bona ſanctam innocentiam & conſtantiam ad finem uſq; retineant: Secundo, ut cum hoſtibus agat pro ſapientiſſima ſua uoluntate, ita ut eos uel ad ſocietatem Eccleſiæ reducat, uel tandem penitus peſſundet, quo cæteri diſcant Deum timere & à corruptelis uerbi diuinitus traditi abſtinere: Tertio, ut aperiat oculos cœcorum & linguam mutorum, in gloria Dei dif-

fendenda cœcutientium & obmu-
tescentium, ut magnitudine peccati
conspecta & suæ & aliorum consci-
entijs consulant. Postremo, ut nos
reliquos in agnita doctrinæ luce
paterne tueatur, confirmet,
ducat atq; gubernet, Amen,
Mense Iulio, An-
no 1563.



Vetus

VETVS M. IOHANNIS AGRI-colæ Islebij doctrina

DE NOVA OBEDIENTIA & bonis operibus.

In formulis & interrogationibus puerilibus euulgatis Berlini Anno 1541.

In Præfatione.

OPera DEBENT fieri propter quinque causas.

1 Propter mandatum Dei.
2 Ad exercendã & alendam fidẽ.
3 Propter confessionem.
4 Propter gratiarum actionem.
5 Quia conditi & præparati sumus ad benè operandum.

Ibidem quæstione 203.

Opera uocationis DEBENT fieri primùm ad gloriam Dei. Sic enim ait Christus, Luceat lux uestra &c.

Secundò, ut certam faciamus nostrã uocationem, & ut probetur no-

stra

ſtra fides. Qui enim fideliter ſeruiūt docendo, ipſi bonum ſibiipſis acquirunt pietate quadam, ad Timoth.

Ibidem quæſtione 208.

Auguſtinus: Omnis ergò Chriſtianus, cui iam donatū eſt poſſe per gratiam, ut Dei faciat uoluntatem, abundare DEBET in operib. bonis: quia labor eius non erit inanis in Domino; ſic tamen, ut non in ſe, ſed ſemper in Domino glorietur.

Idem, Nobis neceſſarium erat, ut eo modo ageretur nobiſcū. i. ut uteretur Deus Diabolo ad exercendam & probandam fidem & pietatem.

Extant & alia eius dicta partim his ſimilia, partim etiam magis Emphatica in germanicis ipſius ſcriptis, de quibus alibi dicetur. Interim tamen locum nunc annotabimus.

In der Auslegung der Epiſtel zum Coloſſern zu Speier gepredigt Anno 1527. C. 1. 2. & 3.

In

In den 130 Fragstücken/ quæstione 82. & 87.

In den Summarien der Episteln durchs gantze Jar. F. 8. Q. 1. V. 5. a. 8. d. 2. & 3.

Im Merckischen bekentnis wider Osiandrum. I. 1.

VETVS

D. ANDREÆ MVSCVli doctrina.

DE NOVA OBEDIENTIA & bonis operibus.

In disputatione M. Melchioris Dregeri, Propositione 19.

Sub initio prædicationis Euangelij unà cum abominationibus Pontificijs, egregiæ & piæ traditiones & ceremoniæ destruendæ NECESSARIO erant, nè uinum nouum in utres ueteres mitteretur.

Quòd

Quòd uerò nunc quidam concionatores tantùm in fundamenti positione bonis & malis structuris pariter solo æquatis immorantur diutius, nec aurum, argentum & lapides preciosos, doctinam nimirum de noua obedientia, de fidei exercitijs, de precibus, ieiunijs, collectionibus &c. superstruunt: Pronuncio tales prædicatores esse concionatores libertatis carnis, non Spiritus, esse eos instrumenta Satanæ, in quibus Diabolus se in Angelum lucis transformans, securitatem in mundo iam senescente & ruinam minitante spargit & promouet.

Idem in locis de bonis operibus.

Chrysostomus, Quæcunque fecerimus, debitum, si quando fecerimus, exsoluimus. Propterea & ipse Christus dicit, Quando omnia feceritis,

ritis, dicite, Quoniam inutiles ser-
ui sumus, quæ debebamus facere,
fecimus. Cum igitur dilectionem
exhibemus, cum pecuniam exhibe-
mus egenis, debitum implemus.

Idem, NECESSARIA no-
bis est præteritarum obliuio uirtu-
tum.

Ambrosius, Iure Deo DEBE-
MVS obsequium.

Idem, Dum uiuimus, DEBE-
MVS semper operari.

Augustinus, Impius ideo iustifi-
catus est, ut iustus sit, non ut peccare
sibi licere arbitraretur.

Idem, OPORTET ut ode-
ris in te opus tuum, &
ames in te opus
Dei.



LIBER PRIMVS DE NOVÆ OBEDIENTIAE ET BONORVM OPERVM NECESSITATE.

I. CAPVT.

DE REGVLIS QVIBVSDAM.

I. REGVLA.

REctißimè de Noua obedientia dicitur, Noua obedientia est NECESSARIA.

NECESSE est obedientiam nouam præstari.

Nouæ obedientiæ sua quædam est apud Christianos NECESSITAS.

Nouam obedientiam OPORTET præstari.

Nouam obedientiam OPORTET NECESSARIO præstari.

Noua obedientia DEBET præstari.

Noua obedientia DEBET NECES-SARIO præstari.

Noua obedientia est præstanda: & quidem NECESSARIO præstanda.

Noua obedientia est opus & quidem NECESSARIO OPVS.

Noua obedientia DECET Christianos.

Huc possunt etiam æquipollentiæ istorum referri.

II.

Eodem modo de bonis etiam operibus rectißimè dicitur.

Bona opera sunt NECESSARIA.

NECESSE est bona opera facere.

Bonorum operum sua quædam est apud Christianos NECESSITAS.

Cum cæteris, de quibus & in præcedenti propositione dictum.

III.

In illis ipsis uero locutionibus omnibus retinemus etiam usitatißimam sententiam & explicationem congruentem cum uerbo Dei, cum Augustan

gustana confeßione & cum usitatißima omnium Academiarum & Ecclesiarum rectè constitutarum explicatione.

Eatenus intelligimus illas de debiti potißsimum neceßitate, nempe, quod debeant illæ res sequi fidem, iusticiam & renouationem, sicut fructus arborem, lux solem, umbra corpus & effectus causam sequuntur.

Item quod debeant à credentibus, iustificatis & renouatis præstari & fieri, non minus quam bona arbor fructus bonos facit &c.

Idipsum autem debitum dicimus ortum esse partim ex mutua inter Deum & homines obligatione, cuius obligationis causæ sunt, Creatio, redemtio, iustificatio, donatio Spiritus sancti, Regeneratio, donatio ingentium bonorum æternorum & corporalium: partim ex alijs quibusdam rebus, de quibus in sequentibus Regulis dicetur.

Econtra uerò de merito salutis, de causa sine qua nō, de neceßitate impetrandæ salutis, de neceßitate ad salutem tanquam causa, prorsus non intelligimus illas, prout MVSCVLVS indignißimè uociferatur.

Deinde etiam neq; de coactione seu coa-

ctionis neceßitate intelligimus illas, etiamsi MVSCVLVS eo detorqueat, non sine crudeli & barbarica deprauatione.

Has posteriores interpretationes, uel potius calumnias remittimus ad ANTINOMOS, LIBERTINOS & ENTHVSIASTAS, qui eas & conceperunt & pepererunt, iuxta ueterem uersiculum, Parturiunt montes, nascetur ridiculus MVS.

IIII.

Illæ ipsæ uero locutiones ueræ sunt propter duas potißimum causas. 1 Quia istæ formæ loquendi sunt usitatißimæ, cum in sacris literis, tum in omnibus propemodum Orthodoxis scriptoribus. 2. Quia concurrunt etiam peculiares causæ, quare sit operandum benè.

V.

Causæ uerò, quare benè operandum sit, paulò plures recitari possunt: Ex his præcipuæ sunt hæ duodecim.

1. Expressa Dei uoluntas & mandatum de noua obedientia & operibus bonis faciendis, cui sine dubio omnis obedientia debetur.

Huc pertinent omnia sacræ scripturæ mandata, præcepta & admonitiones de dilectione & operibus bonis. Item dicta sacræ scripturæ,

pturæ, in quibus hæc sunt uocabula, Voluntas Dei, Mandatum Dei, Præceptum Dei, uolo, præcipio, mando, admoneo, hortor, obsecro, cum similibus. Præterea pertinent huc & illa, quæ interdum de diuino ordine seu ordinatione dicuntur.

2. Beneplacitum Dei in actionibus obedientiæ nouæ & operum bonorum, cuius nomine quiuis Christianus nihil non facere debet.

3. Promißio remunerationis pro operibus bonis facta à Deo ex mera gratia, quæ omnes Christianos ad benè operandum meritò inuitare debet.

4. Ingentia Dei beneficia erga Christianos, ut sunt creatio & recreatio cum alijs cognatis beneficijs, pro quibus sine ulla controuersia gratitudo uerbis & re, & omnis generis officia debentur.

5. Conditio status & uocationis Christianorum, in qua debemus Deo omnia officia, quæ decent.

6. Stipulatio in Baptismo facta, ubi iurauimus Deo, & abiurauimus Diabolo, cuius nomine quiuis Christianus debitor Deo factus est.

7. Imitatio Christi & conformitas cum ipso, ad quam quiuis Christianus obligatus est.

8. Inchoatio obedientiæ legalis, ad quam om-

nes Christiani in hac uita obligati sunt, ita ut necesse sit eã in hac uita fieri. Alioqui enim si non inchoatur, iam etiam non consummabitur: Et si hic non inchoatur, in altera certè uita non inchoabitur, quia ista uersatur circa consummationem, non circa inchoationem.

9. Ratio consequentiæ, cohærentiæ, correspondentiæ, & connexionis Nouæ obedientiæ & operum bonorum cum fide, cum iusticia fidei, cum Spiritu sancto in cordibus inhabitante, quam quiuis Christianus tenere, conseruare, exercere, confirmare & declarare debet.

10. Conditio effectuum et commodorum Nouæ obedientiæ & bonorum operum, propter quæ quiuis Christianus quiduis facere debet, sed ita tamen, ut sit consentaneum uerbo Dei.

Commoda uero Nouæ obedientiæ & operum bonorum ualdè multa sunt, ex quibus hæc sine dubio sunt præcipua, Gloria Dei: Vtilitas proximi: Certificatio nostri de eo, quod & fides nostra sit uera, & uerè simus filij Dei, & uerè inhabitet in nobis Spiritus sanctus: Declaratio fidei & salutis nostræ apud alios: Exercitatio & auctio fidei: Vt non excutiatur, sed

mas

maneat fides, salus & Spiritus sanctus: Inchoatio obedientiæ legalis: Exercitatio & augmentatio eiusdem obedientiæ: Declaratio eiusdem apud alios: Mortificatio ueteris Adami: Inchoatio uitæ æternæ: Honesta conuersatio coram mundo: Retentio bonæ conscientiæ & uitatio malæ: Inuitatio aliorum seu ad fidem Christianam, seu ad benè operandum, quod potest fieri bonis exemplis, quæ res prodest, postea ad regni cœlorum amplificationem: Conseruatio publicæ tranquillitatis & externæ disciplinæ: Perceptio præmiorum à Deo benè operantibus pr o missorum: Et uitatio pœnarum cum promißione operum bonorum, tum pro commißione malorũ. Ad has igitur res prodest obedientia noua cum operibus bonis.

11. Commendationes & Encomia nouæ obedientiæ & operum bonorum, quæ merito omnes Christianos nón tantum inuitare, uerumetiam excitare ad benè operandum debent.

12. Incommoda, pœnæ & alia mala emergentia cum ex omißione operum bonorum, tunc ex commißione malorum. Ex illis uero incommodis hæc sunt præcipua, offensio Dei, amißio donorum Dei, mala conscientia, multiplices pœnæ.

His accedunt scandalum, deformatio suiipsius, uituperatio. Interdum accedit etiam deformatio doctrinæ Christianæ, & tandem etiam nominis & gloriæ Dei.

VI.

Hæc est usitatißima omnium orthodoxorum in illis Capitibus doctrina.

Huic uero soli illi contrarium docent, qui obedientiæ nouæ & operum bonorum libertatem asserunt. Sed tales paßim ab omnibus orthodoxis pro pseudoprophetis & seductoribus reputantur: Et solent etiam ab ijsdem usitatißimo nomine, ANTINOMI, LIBERTINI & ENTHVSIASTAE nuncupari.

II. CAPVT.

DE VOCABVLO NECESSITATIS, NECESSARII, & NECESSE.

EX SACRIS.

Lucæ 10. Vnum est NECESSARIVM. Nempe sedere ad pedes Iesu, audire uerbum Dei, iugiter adhærere Christo, omittere opera non necessaria, & res prophanas postponere rebus spiritualibus.

Act.

Act.15. NECESSARIVM est abstinere à fornicatione.

Rom.13. NECESSE est obedire non tantum propter iram, uerum etiam propter conscientiam.

1. Cor. 9. NECESSITAS mihi incumbit,ut Euangelizem.

Ebræ.10. Patientia uobis est NECESSARIA.

2.Cor. 9. NECESSARIVM existimaui rogare fratres, ut præueniant ad uos.

EX CONFESSIONE Augustana in editione priori.

Articulo 16.

NECESSARIO DEBENT Christiani obedire Magistratibus suis & legibus, nisi cum iubent peccare: Tunc enim magis DEBENT obedire Deo, quam hominibus.

Articulo 20.

Docent nostri, quod NECESSE sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter uoluntatem Dei.

EX EADEM IN EDItione posteriori.

Articulo 6.

Ecclesiæ apud nos magno consensu docent, quod cum fide reconciliamur, NECESSARIO *sequi* DEBEAT *iusticia bonorum operum, quæ Deus nobis mandauit.*

Articulo 16.

Christiani NECESSARIO DEBENT *obedire præsentibus Magistratibus suis & legibus, nisi cum iubent peccare.*

Articulo 20.

Cum NECESSARIAM *de fide doctrinam & consolationem Ecclesijs proponimus, additur & doctrina de bonis operibus, quod uidelicet* NECESSARIA *sit in reconciliatis obedientia erga legem Dei. Nam Euangelium concionatur de noua uita, iuxta illud, Dabo legem meam in cordibus eorum. Hæc igitur Noua uita* DEBET *esse obedientia erga Deum.*

Ibidem.

Ita de operibus iudicandum est, quod quidem amplißimis laudibus ornanda sint, quod sint NECESSARIA, *quod sint cultus Dei & sacrificia spiritualia.*

EX APOLOGIA CONfessionis Augustanæ.

Articulo de dilectione.

Profitemur igitur, quod NECESSE *sit inchoari in nobis, & subinde magis magisq; fieri legem :* Et *complectimur simul utrunq;, uidelicet spirituales motus & externa bona opera.*

Ibidem.

Neq; propter dilectionem Dei *accipimus remißionem peccatorum :* Et*si sequi eam* NECESSE *est.*

Ibidem.

NECESSE *est renatos benè operari :* Et *uirtutes legis, quatenus obediunt legi, sunt iusticia.*

Articulo 20.

Supra satis ostendimus, quod sentiamus bona opera NECESSARIO *sequi* DEBERE. *Non enim abolemus legem, inquit Paulus, sed stabilimus.*

EX ACTIS COLLOQVII VVormaciensis in responsione Principum & Statuum protestantum.

Rectè consolandi sunt, ut uerè statuant tunc inchoatam obedientiam, quam sequi NECESSE *est, placere Deo, cum dolentes agnoscimus imperfectionem, & credimus tamen obedientiam placere propter Pontificem Christum, & perferri ad patrem, tanquam spirituales hostias, ut Petrus inquit.*

Ibidem, in alio quodam scripto cum subscriptione Principum & Statuum protestantium.

Disciplinæ restitutio requirit autoritatem & diligentiam Principum & Magistratuum. NECESSE *est mores seueritate maiori regi & contineri iuuentutem intra septa, & ad pia exercitia reuocari.*

EX CONFESSIONE SAxonica tempore Concilij Tridentini scripta.

Fol. 128. in 1. Tomo D. Philippi.

NECESSARIA *est igitur cura ui‑tandi tales lapsus.*

Ibidem.

Hæc manifesta NECESSITAS *pro‑posita summa pœna, uidelicet amißione uitæ æternæ, si quos non mouet ad bonum operan‑dum, hi sunt iam ex his, de quibus dicitur* 1. Ioh. 3. *Qui facit peccatum, ex* Diabolo *est.*

Ibidem.

De NECESSITATE *benè operandi inquit* Dominus, *Nisi abundauerit iusticia ue‑stra plus quam Scribarum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Ibidem.

Considerata NECESSITATE, *quæ multiplex est, sequuntur hæ quæstiones, Quæ opera sint facienda &c.*

Ibidem folio 129.

NECESSE *est in renatis esse iusticiam bonæ conscientiæ & inchoatam obedientiam.*

Ibid. fol. 136.

Nouam

Nouam obedientiam inchoari NECES-SE *est.*

EX CONFESSIONE VVirtebergensi tempore Concilij Tridentini scripta.

Docemus bona opera diuinitus praecepta NECESSARIO *facienda esse.*

Ibidem in Capite de Satisfactione.

Postquam satisfactio Christi nobis applicata & per fidem accepta est, NECESSARIO DEBEMVS *bona opera, quae à Deo praecepta sunt, facere, nõ ut ijs expiemus peccata coram Deo, sed ut ad declarandam obedientiam nostram bonos fructus poenitentiae proferamus, & gratitudinem nostram testificemur.*

EX LVTHERO Tomo Primo.

In disputationibus contra Eccium. fol. 366.

NE-

NECESSARIA sunt & salubria bona opera quaecunque.

Ibidem.

Eccius scit me ita non sapere, scilicet quod bona opera non sint necessaria.

Ibidem folio 391.

NECESSARIA sunt opera omnia tàm legis quam gratiae.

Tomo secundo fol. 115.

Bona opera non faciunt iustum, ut sepè diximus, sed iustus facit bona opera, ac talia faciat NECESSE est, qualis est ipse.

Ibid. fol. 280.

Opera legis diuinae non iustificant, nec sunt necessaria ad iusticiam & salutem, cum Paulus dicat, Ex operibus legis non iustificatur omnis caro: Tamen NECESSARIA sunt dicente Christo, Matth. 19. Si uis in uitam ingredi, serua mandata.

Ibidem.

Ibidem.

Opera sunt NECESSARIA, *tanquam fructus iusticiæ, etsi non sunt necessaria ad ipsam iusticiam, quæ solius fidei est.*

Tomo Quarto fol. 166.

Veterem hominem hoc seruitutis onere premi NECESSE *est, ut coerceatur, retundatur, & crucifigatur.*

Ibidem.

Lasciuiam & petulantiam carnis subijci legi NECESSE *est.*

Ibid. fol. 167.

Carnem NECESSE *est esse sub lege.*

Fol. 231.

Præter spiritualem uitam obligat nos politia, ut externè etiam honestè uiuamus. Huc adhibenda est alia iusticia, non Christiana, sed politica, quæ NECESSARIA, *& non sine peccato prætermittitur.*

Tomo Quinto fol. 414.

AEquè NECESSARIVM *est, ut pij Doctores tàm diligenter urgeant doctrinam de*

de bonis operibus, quàm doctrinam de fide. Satan enim utriq; infensus est, & acerrimè resistit.

Fol. 417.

Vterq; locus & fidei & operum diligenter doceri & urgeri debet, sic tamen, ut uterq; intra suos limites maneat. Alioqui si opera sola docentur, ut in Papatu accidit, fides amittitur. Si fides sola docetur, statim somniant carnales homines opera non esse NECESSARIA.

Tomo Sexto fol. 283.

NECESSE est, ut sit etiam externa significatio beneuolentiæ propter alios.

In Genesin Tomo Primo fol. 27.

NECESSARIVM fuit, ut animalis homo etiam cultum animalem seu externum haberet, quo secundum corpus exerceretur in obedientia erga Deum.

Fol. 6.

Discamus itaq; NECESSE fuisse homini sic condito, ut omnes reliquas creaturas uiuentes in manu haberet, ut agnosceret creatorem

ſuum, ut agere creatori ſuo gratias, ut etiam externum cultum aliquem & certum opus obedientiæ haberet.

In Geneſin Tomo Secundo fol. 137.

Diſcamus igitur orationem admodum eſſe NECESSARIAM.

In Cap. 8. Gene. fol. 137.

Non habuit Noah libertatem tantum ſacrificandi, ſed etiam NECESSITATEM, *& ex uocatione fecit, quod fecit.*

In 16. Caput Gene. fol. 64.

NECESSARIA *uirtus eſt beneficentia & digna laude: Sed longè maior uirtus eſt magisq;* NECESSARIA, *non offendi ingratitudine ſeu ferre ingratos.*

In Matthæum Cap. 11.

Humilitas eſt NECESSARIA *in portando iugo.*

In

In Epistolis folio 176.

Ante omnia uero summam mansuetudinem erga peccatores indue. Hoc enim Sacerdoti NECESSARIVM *est, ut nullum despiciat, sed istius peccata & miserias tua esse existima, sicut Christum uides nobis fecisse.*

In disputatione D. Lutheri & D. Philippi, quæ est annexa scripto D. Philippi contra Osiandrum.

Phil. Vos ipsi docetis, quod iusticia operum sit NECESSARIA, *& quidem coram Deo.*

Luth. NECESSARIA *est, sed non necessitate legali seu coactionis, sed necessitate gratuita seu consequentiæ seu immutabilitatis.*

In disputationibus de dicto Pauli, Arbitramur hominem &c.

Disputat. 4.

Iustificatio, bona opera, salus sunt NECESSARIA *ad legis impletionem.*

In disputatione quadam contra Antinomos, idq; in responsionibus.

Nouitas nostra NECESSARIA *est, sed non ad salutem, non ad iustificationem.*

Ibidem.

Opera gratiæ sunt NECESSARIA, *ut testentur de fide, ut glorificent Deum patrem, qui in cœlis est, ut seruiant proximo.*

Ibidem.

Bona opera seu obedientia nostra sunt tantum NECESSARIA, *ut testentur de fide, glorificent Deum, & seruiant proximo.*

In propositionibus Anni 20. quæ incipiunt, Accessuro ad Sacramentum.

Auditu horrendum est, quod D. S. non NECESSARIVM *esse bonum motum cordis astruunt.*

De Votis Monasticis.

Opera Decalogi non possunt magis omitti, quam ipsa fides: Nec sunt minus NECESSARIA *quam fides.*

EX D. PHILIPPO MElanthone in locis ultimis.

De bonis operibus.

In renatis NECESSE *est esse inchoatam obedientiam & iusticiam bonae conscientiae.*

Ibidem.

Planè & clarè dico, obedientia nostra, hoc est, Iusticia bonae conscientiae seu bonorum operum, quae Deus nobis praecepit, NECESSARIO *sequi reconciliationem debet.*

Ibidem.

Multae sunt causae, propter quas opera bona facienda sunt: NECESSITAS, *dignitas, praemia. Et primũ multiplex est necessitas, mandati, debiti, retinendae fidei & uitandi poenas.*

Ibidem.

Aliud est loqui de coactione scilicet, quam de NECESSITATE.

Ibidem.

Manet ordinatio Dei *æterna & immutabilis, ut uoluntati* Dei *creatura obtemperet.* Hæc *ordinatio immutabilis est* MANDATI & DEBITI NECESSITAS, *sicut Paulus inquit*, Debitores *sumus.*

In locis penultimis.

De bonis operibus.

Obedientia nostra est NECESSARIA.

Ibidem.

NECESSARIA *est obedientia & placet* Deo, *sed in reconciliatis.*

Ibidem.

Tanta est NECESSITAS *bonorum operũ, ut* Paulus *dicat*, Qui *talia agunt, regnum* Dei *non poßidebunt.*

In confutatione Bauaricorum Articulorum.

Noua obedientia est DEBITVM, *est* NECESSARIA.

Ibidem.

DEBITVM & NECESSARIVM *significant hic ordinem diuinum & immutabi-*

mutabilem, quo creatura rationalis Deo creatori subiecta est.

Quidam dicunt DEBITVM & NECESSARIVM esse metu aut coactione extortum. Ea est insulsa interpretatio & ἀκυρολογία. Sunt ineptiae indoctorum, temulentorum, praestigiatorum.

Ibidem.

Nouae obedientiae inchoatio est NECESSARIA. Hanc propositionem adfirmo ueram esse, & contra Antinomos constanter retinendam: quia hic ordo diuinus & immutabilis est, ut creatura rationalis Deo obediat.

Ibidem.

Nouae obedientiae inchoatio NECESSARIA etiam est propter causae & effectus consensum, iuxta dictum, Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei.

Ibidem.

Damno Antinomos, qui uociferantur, Nouam obedientiam non esse NECESSARIAM, nec debitum, contra Regulam, Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

In Epistola ad Romanos Anni 1556. in Argumento.

NECESSE est *nouas uirtutes in nobis accendi, ut sæpè iam dictum est.*

Ibidem C. 7.

Considerandæ sunt causæ benè operandi necessariæ. Et agrestè est intelligere NECESSITATEM *coactionem. Angelorum obedientia est* NECESSARIA, *id est, sic ordinata à* Deo, *& tamen est spontanea, non extorta coactione uel terroribus.*

Ibidem Cap. 8.

Aliqui inepti reprehendunt has formas loquendi, Noua obedientia est DEBITA. *Item,* Noua obedientia est NECESSARIA: *Et dicunt intelligi coactionem seu obedientiam metu extortam. Hæc interpretatio non est natiua in uerbis* DEBITI *&* NECESSITATIS. *Significant enim hæc uerba ordinem immutabilem, non significant propriè coactionem, quæ fit metu poenarum.*

Ibidem.

Noua obedientia eo ipso est NECESSARIA:

SARIA: quia hic ordo est æternus, ut creatura Dei uolens, obediat Deo.

Ibidem Cap. 13.

Verba Pauli diligenter consideranda sunt. NECESSE est obedire, non solum propter iram &c.

Ibidem.

NECESSITATEM sic declarat Paulus, ut intelligatur de obligatione conscientiæ & de æternis pœnis, uidelicet nisi fiat conuersio.

In explicatione Symboli Niceni Cap. de bonis operibus.

Inde perspicuè intelligi potest, nouam obedientiam NECESSARIAM esse.

Ibidem.

Vocabulum NECESSITATIS propriè non significat uiolentam coactionem, ut INDOCTI sæpè interpretantur, ut cum dicitur, Latro captus necessario desinit latrocinari, ubi necesitas significat coactionem foris accedentem etiam cum uoluntas repugnat. Sed cum inquit Paulus, Debitores sumus, intelligit necesitatem, ordinem à Deo sancitum, quo creatura

tura subiecta est creatori, quo uult Deus immutabiliter, ut & uolens obtemperet creatori rationalis, & sciat non esse faciendum contra illum ordinem.

Ibidem in Quæstione 4.

Vera est propositio, Noua obedientia est NECESSARIA, & rectè intelligantur uocabula. Noua obedientia seu bona opera intelliguntur, non tantum de externis operibus, sed prius de interiore luce & nouitate: Et insulsum est NECESSARIA interpretari extorta coactione uel metu pœnarum. Sed NECESSITAS significat ordinem, quem sapientia & iusticia Dei immutabiliter sanxit, ut creatura Deo obtemperet. Hæc breuiter moneo de natiua uocum significatione, & iuniores adhortor, ut rectè loqui & iudicare studeant.

Ibidem.

Sic igitur dico, Noua obedientia est NECESSARIA necessitate ordinis causæ & effectus. Item necessitate debiti seu mandati. Necessitas ordinis causæ & effectus sic intelligatur: Cum fide accipitur Spiritus sanctus,

fit uiuificatio & laeticia in Deo, & accenduntur tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus.

Ibidem Cap. de lege diuina.

Etsi in nemine preter filium Dei fulsit & fulget perfecta obedientia, tamen in omnibus, qui conuertuntur, inchoari obedientiam NECESSE *est, iuxta dictum, Per fidem lex stabilitur.*

In Matthaeum Cap. 6.

NECESSE *est sequi iusticiam bonae conscientiae, seu bonum propositum.*

Ibidem.

Prorsus NECESSARIVM *est in nobis esse poenitentiam, & in conuersione deponi delicta contra conscientiam, ne indulgeamus odio interno & priuatae cupiditati.*

Ibidem.

Opera & negocia sunt NECESSARIA, *quae Deus tibi praecipit, quaeq; tui officij ratio postulat.*

In Matthaeum Cap. 7.

Chri-

Christianos NECESSE est emendationem inchoare, ut aliquomodo peccati & iræ diuinæ magnitudinem agnoscentes expauescant, nec perseuerent in tam uiciosa philautia, cæca securitate & crassa superbia, qualis hic seuerè taxatur.

In Postilla Domin. I. Trinit.

Notum est præceptum, Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Item, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem &c. Hæc opera sunt NECESSARIA, & quomodo placeant alias sæpè dicitur, scilicet, propter Christum mediatorem, in his, qui credunt.

Ibid. Domin. Trin. 3.

Vbicunq; est fides, ibi NECESSE est simul esse iusticiam bonæ conscientiæ.

Ibidem.

Tenerrima res est inuocatio, & leuißimo uulnere sauciata conscientia repellit ac fugit Deum. Ideo ut fides retineri poßit, NECESSE est retineri iusticiam bonæ conscientiæ, ut 1. Ioh. 3. dicitur, Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus erga Deum.

In Disputationibus.

Disputat. 14.

Interea etiam hoc affirmamus, Nouitatem uitæ in reconciliatis esse NECESSARIAM. *Nec tamen ideo bona opera sunt aliqua partialis causa iustificationis.*

Disputat. 15.

Verißima est propositio, Reconciliatum NECESSE *est habere inchoatam obedientiam spiritualem, & insticiam bonæ conscientiæ.*

Disputat. 20.

Omnes creaturæ NECESSARIO *debent obedire. Itaq; neq; à Decalogo neq; à politicis legibus liberati sumus, quod ad obedientiam attinet.*

Disputat. 23.

Sequens obedientia NECESSARIA *est: Et fit insticia, quia persona est accepta.*

Disput. 48.

Etsi obedientiam erga legem sequi NECESSE *est, tamen hæc obedientia non est causa iustificationis, neq; principalis, neq; minus principalis.*

Disput.

Disputat. 51.

Agnitionem misericordiæ & præsentiæ Dei sequitur NECESSARIO *uera inuocatio, & sequitur* Noua *obedientia* Deo *placens, quam retinere studeamus.*

Disput. 53.

Etsi noua obedientia NECESSARIA *est, tamen non satisfacit legi* Dei, *& manent in renatis in hac uita peccata actualia & radix.*

Disputat. 63.

NECESSARIO *sequi oportet in conuersione* Nouam *obedientiam & iusticiam bonæ conscientiæ, sicut scriptum est,* Qui *non diligit, manet in morte.*

Disputat. 69.

Noua *obedientia non est meritum uitæ æternæ: Sed ideo, quia manet ordo immutabilis, ut creatura rationalis* Deo *obediat, & quia ad æternam iusticiam restituimur,* NECESSARIA *est.*

Disputa. 70.

Cum Paulus *dicat,* Debitores *sumus, nihil dubium est* Nouam *obedientiam* NECESSA-

RIAM

RIAM esse eò ipso, quia ordo diuinus immutabilis est, ut creatura rationalis Deo obtemperet. Et uocabula NECESSARIVM & DEBITVM propriè intelligantur de diuino ordine, non de extortis metu ab inuitis, quae interpretatio peregrina est, ut non propriè dicitur, Non debes latroni pecuniam. Qualis incertitudo & uitae confusio esset dicere Nouam obedientiam non esse NECESSARIAM & serere imaginationem, quasi concedatur licentia uiolandi legem Dei contra conscientiam?

In ultima disput.

Has portentosas & Diabolicas uoces (Noua obedientia non est NECESSARIA, seu bona opera non sunt NECESSARIA) detestamur, & dolemus tantam aliquorum audaciam esse, ut in Ecclesia Dei haec sonare audeant.

In propositionibus, de quibus responderunt D. Eberus & alij quidam.

Vera est propositio, Noua obedientia est NECESSARIA. Non addimus hanc particu-

particulam ad salutem, sed dicimus sine ulla sophistica NECESSARIAM esse, quia hunc ordinem sanxit Deus.

In oratione Domini de Dan.

Cynicorum potius quam Christianorum locutio est hanc propositionem esse falsam, Bona opera sunt NECESSARIA. Mirabitur posteritas saeculum fuisse tam furiosum, in quo talis insania applausores habuerit.

Ibidem.

Manifesta insania & Cyclopum & Cynicorum furor est dicere obedientiam, quam leges diuinae praecipiunt, non esse NECESSARIAM.

In enarrationibus Ethicorum lib. 3. cap. 5.

Christianos necesse est uero studio hanc disciplinam praestare, id est, ita regere actiones, ne ruant contra conscientiam. Ac saepè monemus quatuor esse causas, propter quas haec diligentia NECESSARIA est.

Prima propter mandatum Dei: Secunda ad uitandas poenas: Tertia, ut aliorum tranquillitati

quillitati seruiamus: Quarta, ut sit pædagogia in Christum: quia Spiritus sanctus non est efficax in his, qui perseuerant in delictis contra conscientiam. Hæ quatuor causæ semper sint in conspectu, ut nos ad regendos mores exuscitent. Hoc cum fit, addamus etiam ueram pœnitentiam & fidem.

In Epistola ad D. Georg. Fagium præpositum Berlinensem.

Ipse Amsdorffius refutat scurrilitatem istorum, qui negant propositionem, Noua obedientia est NECESSARIA. Est autem barbaries intelligere NECESSARIVM coactione extortum. Significat enim ordinatum à Deo immutabiliter.

In Epistola ad Abdiam Prætorium.

Non abijciam has propositiones Noua obedientia est NECESSARIA, seu Bona opera sunt NECESSARIA, etiamsi dira mihi minitetur tota illa factio Antinomorum.

In ſubſcriptione quadam ad ſcriptum Abdiæ Præ- torij.

Ego Philippus & ſententiam Domini Prætorij ueram eſſe iudico de hac propoſitione, Noua obedientia eſt NECESSARIA, *ſeu bona opera ſunt* NECESSARIA, *& formam loquendi adſirmo propriã & retinendam eſſe, ut in ſcripto de Bauarica inquiſitione perſpicuè dixi:* Et DEO *iuuante, in tota æternitate hoc dicam, Rationalem creaturam debere obedientiam Deo.*

EX AVGVSTINO DE ſpiritu & litera, Cap. 36.

Omni homini NECESSARIVM *eſt dare, ut detur, dimittere, ut dimittatur illi, & ſiquid habet iuſticiæ, non de ſuo ſibi eſſe præſumere, ſed de gratia iuſtificantis Dei.*

EX CHRYSOSTOMO

In Matthæ: Cap. 1. homi. 3.

NE-

NECESSARIA *nobis est præteritarum obliuio uirtutum.*

Idem.

Omnis NECESSITAS *est eum, qui uult placere Deo, bonum esse & sanctam degere uitam etc.*

πᾶσα ἈΝΑΓΚΗ τὸν μέλλοντα εὐαρεστεῖν τῷ θεῷ καὶ δόκιμον εἶναι καὶ ἁγνὸν μὴ τὸν ἀνετὸν καὶ ὑγρὸν καὶ διαλελυμένον διώκειν βίον, ἀλλὰ τὸν ἐπίπονον καὶ μόχθων γέμοντα πολλῶν καὶ ἱδρώτων.

Idem.

Vide, quæ NECESSE *erat uel* COGEBATVR *Abraham facere &c.*

Ὅρα γοῦν, ὁ πιστὸς ἀβραὰμ τίνα μὲν ὑπόσχεσιν ἐδέξατο, τίνα δὲ πράττειν ἨΝΑΓΚΑΣΕΤΟ.

EX BASILIO MAGNO

In Asceticis quæst. 288.

NECESSARIVM *est confeßionem fieri apud eos, quibus credita sunt mysteria Dei.*

ἈΝΑΓΚΑΙΟΝ τοῖς πεπιστευμένοις

τὴν οἰκονομίαν τῶν μυστηρίων τοῦ θεοῦ ἐξομολογεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα.

Idem.

Si oportet Dei *hominem perfectum esse, omnis* NECESSITAS *est per omnia praecepta absolui.*

Οὐ δυνατὸν σωθῆναι μὴ ποιοῦντα τὰ κατ᾽ ἐντολὴν τοῦ θεοῦ ἔργα, οὐδὲ τὸ παριδεῖν τι τῶν προστεταγμένων ἀκίνδυνον. Δεινὴ γὰρ ἔπαρσις κριτὰς ἡμᾶς τοῦ νομοθέτου καθέζεσθαι καὶ τοὺς μὲν ἐγκρίνειν τῶν νόμων τοὺς δὲ παραπέμπεσθαι. εἰ γὰρ δεῖ τέλειον εἶναι τὸν τοῦ θεοῦ ἄνθρωπον, ΑΝΑΓΚΗ πᾶσα διὰ πάσης ἐντολῆς καταρτισθῆναι εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ χριστοῦ.

Nazianzenus in Epistola ad Basilium.

Ἐπεὶ δὲ ἐγένετο, φέρειν ἀνάγκη, ὥς γοῦν ἐμοὶ καταφαίνεται, καὶ μάλιστα διὰ τὸν καιρὸν πολλὰς ἡμῖν αἱρετικῶν ἐπεισάγοντα γλώσσας, καὶ μὴ καταισχύνειν μήτε τὰς πεπιστευκότων ἐλπίδας μήτε τὸν ἡμέτερον βίον.

NECESSE *est ferre & non pudefacere neq; spem credentium neq; nostram uitam.*

Idem in Apologe fol. 21.

πᾶσα ἀνάγκη καὶ τὸν προστάτην ἁπλοῦν εἶναι &c.

Omnis NECESSITAS est gubernatorem Ecclesiæ simplicem esse.

Idem in oratione de seipso fol. 175.

τὸ μὲν εὐαγγελίσασθαι τῆς ἀνάγκης, Euangelisare est NECESSITATIS.

EX CYRILLO EPIscopo Alexandrino.

NECESSE est filios parentibus concedere.

Εἴκειν ἈΝΑΓΚΑΙΟΝ πατράσι τοὺς παῖδας: ἀλλ᾽ ἔνθαπερ ἂν ὁ τῆς ἀληθείας ἐλαύνῃ λόγος, τιμάσθω θεός.

EX NILO EPISCOPO in Gnomis.

Timorem & desiderium erga Deum habere NECESSE est. Ergo homines uerè mundos puro conscientiæ testimonio uti decet.

EX VRBANO REGIO in formulis caute loquendi.

Opera nostra non merentur nobis res illas immensas & æternas, nec iustificant nos. Sunt autem omnino NECESSARIA: *quia suum officium habent.*

III. CAPVT.

DE VOCABVLO DEBERE & OPORTERE cum æquipollentibus & cognatis.

EX SACRIS.

Matth. 18. Nonne OPORTEBAT *& te misereri conserui tui?*

Matth. 23. *Iudicium, misericordiam & fidem* OPORTVIT *facere.*

Lucæ 18. OPORTET *semper orare, & non deficere.*

Iohan. 13. *Si ego laui pedes uestros, Dominus & Magister,* DEBETIS *& uos alter alterius pedes lauare.*

Act.

Acto. 5. OPORTET *Deo magis obedire, quam hominibus.*

Rom 8. *Ergo fratres* DEBITORES *sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus.*

Rom. 13. *Nemini quicquam* DEBEATIS, *nisi ut inuicem diligatis.*

Eph. 5. *Fornicatio & immundicia aut auaricia ne nominetur quidem inter uos, sicut* DECET *sanctos.*

1. Thess. 4. *Quemadmodum accepistis à nobis, quomodo* OPORTEAT *uos ambulare & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis.*

Titum 1. OPORTET *Episcopum sine crimine esse.*

1. Iohan. 4. *Si sic Deus dilexit nos,* DEBEMVS *& nos alterutrum diligere.*

EX CONFESSIONE Augustana In editione priori. Articulo 6.

Ecclesiæ magno consensu apud nos docent, quod fides illa DEBEAT *bonos fructus parere, & quod* OPORTEAT *bona opera man-*

mandata à Deo facere propter uoluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera iustificationem coram Deo mereri.

Articulo 12.

Fidem sequi DEBENT *bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ.*

EX EADEM in editione posteriori.

Articulo 11.

Contritionem & fidem sequi DEBENT *boni fructus pœnitentiæ, hoc est, obedientia erga Deum, iuxta illud, Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus.*

Art. 17.

Pij DEBENT *obedire præsentibus magistratibus.*

Ibidem.

DEBET *in nobis obedientia erga Deum & noua uita crescere, sicut Paulus docet, Renouari nos* DEBERE *ad agnitionem Dei, ut efficiatur in nobis noua lux & imago eius.*

EX APOLOGIA CONfessionis Augustanæ.

Arti-

Articulo de dilectione.

OPORTET *legem in nobis inchoari & magis magisq; fieri.*

Ibidem.

Non accipimus remißionem per alias uirtutes legis, seu propter eas, uidelicet propter patientiam, castitatem & obedientiam erga magistratus : Et tamen has uirtutes sequi OPORTET.

EX CONFESSIONE Saxonica tempore Concilij Tridentini scripta.

Folio 136. in Primo Tomo D. Philippi.

OPORTET *in renatis etiam interiorem obedientiam inchoari.*

Ibidem.

OPORTET *inchoari obedientiam & iusticiam bonae conscientiae.*

Ibidem fol. 128.

Necessitatis causae plures sunt, DEBITVM, id est, ordo immutabilis, ut creaturae Deo obtemperent. Ideo Paulus inquit Rom. 8. DEBITORES sumus.

EX CONFESSIONE VVirtebergensi tempore Concilij Tridentini scripta Cap. de satisfactione.

Postquam satisfactio Christi nobis applicata & per fidem accepta est, necessario DEBEMVS bona opera, quae à Deo praecepta sunt, facere &c.

EX LVTHERO in Catechesi.

Pro quibus omnibus gratias agere, pleno ore laudem tribuere, inseruire, obsequi merito DEBEO. Hoc certissimè uerum est.

Tomo I. fol. 238.

Primum quaero ab insigni uestra prudentia, quibus sit Euangelium datum, lapidibus an lignis? Si hominibus, cur ergo no tenentur praecepta Dei tenere, qrando Christus dicit ne unum iota praeteriturum? Doleo miro modo uos insconsutilistas et Tunicastros sic desipere, ut nege-

tis ho-

tis homines esse debitores seruandæ uoluntatis et præceptorum Dei: Et nunc demum dubitandum ac disputandum sit, An obedire OPORTEAT præcipienti Deo. O furor. Igitur omnes debemus totum Euangelium & omnia præcepta: Sed quia non possumus, ideò sumus peccatores, et currimus ad thronum misericordiæ Dei. Hæc est B. Augustini sententia in tota parte octaua.

Vos autem homines trahitis ad iudicium, dum non sinitis eos sese agnoscere peccatores, & præceptorum Dei DEBITORES.

Ibidem folio 93. In propositionibus quibusdam.

Currere & uelle OPORTET, nec tamen est currentis aut uolentis, sed miserentis Dei.

Ibidem.

Quærere OPORTET per patientiam boni operis uitam æternam. Nec est tamen quærentis, sed miserentis Dei.

Tomo Secundo folio 11.

Fides conscientias nostras redimit, rectificat & seruat, quia cognoscimus iustitiam esse nō in operibus, licet bona opera abesse neq; possint neq; DEBEANT, sicut sine cibo & potu et uniuersa corporis istius mortalis opera esse non possumus.

Ibi-

Ibidem fol. 242.

Non regnet peccatum in mortali corpore uestro, ut obediatis concupiscentijs eius. Quid clarius dici potuit? Peccatum inest in corpore & concupiscentiæ eiusdem, sed ne regnet CVRANDVM est.

Tomo Tertio fol. 17.

Bona opera sunt FACIENDA & arbor fructus suos ferre DEBET.

Ibid. fol. 462.

Nam reges ut reges, & iudices ut iudices DEBENT præstare nouam seruitutem. Non debent abijcere regna, sed retinere, & tamen hunc regem reuereri & eum audire & suas leges iuxta huius regis uerbum moderari, hoc est, nihil statuere, quod uerbo Christi contrariũ est.

Ibidem fol. 478.

Ergo statuamus nos sola misericordia esse iustos & manere hæredes uitæ æternæ. Postea testemur obedientiam nostram sancta & inculpata uita, quæ pertinet non ad iusticiam nostram, sed ad gratiarum actionem & obedientiam

tiam, quam Deo nostro debemus, sicut filij in domo patris &c.

Ibidem folio 523.

Nam quod noua uita sequi DEBET, non pertinet id satisfactionem, sed ad DEBITVM & obedientiam.

Ibidem folio 529.

Ita petit spiritum sanctum non auferri nec proijci à se, quod ego refero ad sanctificandam carnem & ad mortificationem seu nouam obedientiam, quæ in iustificatis sequi DEBET.

Ibidem folio 531.

Ad hanc uitam reuocat Christus discipulum, cum dicit, sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem me sequere. Significat enim alia opera esse mortuorum opera: Eos autem, qui in Christo uiuunt, DEBERE esse in agnoscenda & prædicanda misericordia Dei, ut eam alij quoq; discant agnoscere.

Ibidem folio 577.

Quid igitur inquies, An non facienda lex est? An non sunt facienda bona opera? Profecto FACIENDA sunt, Nam ideo Deus Ec

ut Ecclesiam habet in mundo. Ideo Resp. & oeconomiam instituit, ut nusquam deesset occasio bene operandi.

Ibidem.

DEBENT singuli in suo genere obedientiam Deo, ut summo studio faciant, quantum possint.

Tomo Quinto fol. 17.

Si sint baptisandi, docendi, consolandi, exhortandi fratres in medio nostrum positi, hic DEBET quilibet seipsum intrudere, tanquam necessitate fraternae caritatis uocatus

Ibidem folio 319.

Bona opera sunt FACIENDA non ut causa, sed ut fructus iusticiae. Iusti facti DEBEMVS ea facere, non econtra, ut iniusti per ea reddamur iusti. Arbor facit poma, non poma arborem.

Ibidem folio 413.

Alter alteri per caritatem, iuxta Pauli preceptum, seruire DEBET.

Ibidem folio 414.

Paulus

Paulus dicit, Caritatem DEBERE *esse* SERVAM *& nisi sit in officio* SERVITVTIS, *non esse caritatem.*

Ibidem fol. 419.

Semper igitur fidendum & sperandum est. Semper apprehendendus est Christus, ut caput & fons iusticiæ nostræ. Qui in hunc credit non pudefiet. Deinde operam dare DEBEMVS, *ut etiam externè iusti simus, hoc est, ne assentiamur carni, quæ semper suggerit aliquid mali, sed illi resistamus per Spiritum.*

Ibidem fol. 433.

Nemo est tam infirmus, qui non aßidua oratione OPVS *habeat.*

Ibid. fol. 461.

Hactenus docuit Petrus, quid faciendum, ut carnem cum omnibus suis desiderijs restinguamus. Nunc docet etiam causam, cur id fieri OPORTEAT.

Tomo 6. fol. 211.

Moralia, quæ uocant, ut sunt ex secunda tabula obedientia erga magistratus, ex prima inuocatio & gatiarum actio, hæc ita sunt mandata, ut perpetuò fieri DEBEANT *singulis diebus, imò horis.*

In Genesin Tomo Secundo folio 3.

O P V S *est perseuerantia, nec satis est be-nè cœpisse, sed quod benè cœperis,* V R G E N-D V M *est grauiter.*

Ibidem folio 30.

Boni tamen admonendi & docendi sunt sedulo, ut postquam cognouerunt Deum *& cœperunt credere, discant quoq;, quomodo erga fratres se* D E B E A N T *gerere.*

In Thematibus Anni 16. quorum initium est, Dominus & Magister noster etc.

T E N E M V R *uelle nostrum omnino conformare diuinæ uoluntati.*

Ibidem.

Non tantum quod uult nos uelle, sed prorsus quodcunq; Deus uult, D E B E M V S.

In disputationibus de dicto Pauli, Arbitramur hominem &c.

Disputat. 5.

OPORTET *corpus cogitari & in seruitutem redigi & carnem cum uicijs suis mortificari & crucifigi.*

In Genesin Tomo Primo fol. 137.

Maneat ergo illa sententia firma, Quod omnia sint FACIENDA *secundum praeceptum Dei, ut possimus in conscientia statuere, quod à Deo iussi haec faciamus.*

Ibidem folio 134.

Meminerimus igitur nobis in hac historia proponi exemplum fidei, perseuerantiae & patientiae, ut, qui promißionem diuinam habent, non solum ei credere discant, sed etiam perseuerantia sibi OPVS ESSE *existiment.*

Tomo 4. folio 165.

Vetus homo quotidiè DEBET *mori, ut destruatur corpus peccati.*

Ibidem folio 166.

OPORTET *ueterem hominem esse*

ſub iugo, hoc eſt, ſub lege, peccato, morte & in-ferno &c.

Ibidem.

Extra fidem urgenda eſt Lex. DEBEMVS *enim corrigi, ut deſtruatur corpus peccati, quod & ante admonui, nec ſatis admoneri poteſt, propter carnis laſciuiam & petulantiam, quæ libertatem aucupatur ubiq;, cum legi eam ſubijci* NECESSE *ſit.*

Ibidem folio 348.

Poſt pœnitentiam ſequi DEBET *noua obedientia à* Deo *præcepta.*

Ibidem fol. 351.

Iuſticia operum DEBET *coram* Deo *in credentibus eſſe.*

Ibidem.

OPORTET *in nobis eſſe iuſticiam bonæ conſcientiæ.*

Ibidem.

Coram hominibus conſpici innocentiam OPORTET *exempli cauſa, iuxta illud,* Lu-*ceat lux ueſtra.*

In Genes. Cap. 18. folio 105.

Ecclesia in his fratrum difficultatibus non potest nec DEBET *esse ociosa. Cogitur mandato Dei & institutione maiorum exercere opera misericordiæ, ut pascat esurientes & sitientes, ut hospitio excipiat exules, ut captos consoletur, ut uisitet decumbentes ex morbo.*

Ibidem Cap. 20. fol. 150.

Qui ad hunc modum Deum agnoscit, quod sic iustus sit, ille facilè terroribus resistet, & inueniet ubi acqniescit, sed requiritur etiã aliud, quod Abimelech hic dicit, integrum se cor & manus innocentes habere, hoc est, REQVIRITVR *bona conscientia.*

In 2. Caput ad Galatas.

Opera sunt FACIENDA *ut fructus iusticiæ, non ut efficiant iusticiam. Nam iusti facti* DEBEMVS *ea facere, non ut iniusti per ea iusti reddamur.*

EX D. PHILIPPO MElanthone in locis ultimis.

De bonis operibus.

Planè & clarè dico, obedientia nostra, hoc est, iusticia bonæ conscientiæ seu bonorum operum, quæ Deus *nobis præcepit,* NECESSARIO *sequi reconciliationem* DEBET.

Ibidem.

OPORTET *inchoari obedientiam & iusticiam bonæ conscientiæ.*

Ibidem de Pœnitentia.

Cum reconciliati sumus, postea DEBET *sequi iusticia bonæ conscientiæ.*

Domin. Trinit. 4.

OPORTET *inchoatam obedientiam in renatis esse iuxta illud,* Nulla *nunc damnatio his est, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.*

Domin. Trinit. 6.

OPORTET *adesse iusticiam operum, quia supra dicit,* Non ueni *soluere legem: Et hic requirit iusticiam maiorem scribarum. Ergo requiritur hic iusticia bonæ conscientiæ & amplius.*

Ibidem.

OPORTET *incboari obedientiam in corde & existere motus assentientes legi, timorem,* Dilectionem Dei, *patientiam.* Ideò *dictum est,* Nisi *abundauerit.*

In Commentario ad Rom. Cap. 8.

Primum obsernes uocem, DEBITORES *sumus.* Hanc *uocem imponit malè intelligentibus libertatem* Euangelicam, *quæ liberat renatos, ne condemnentur à lege, non liberat, ne obediant. Manet enim æternus & immutabilis ordo, ut* Deo *obediamus.*

In confutatione Bauaricorum Articulorum.

Noua obedientia est DEBITVM.

Ibidem.

DEBITVM *& necessarium significat hic ordinem diuinum & immutabilem, quo creatura rationalis* Deo *creatori subiecta est.*

Disputa. 20.

Omnes creaturæ necessario DEBENT *obedire* Deo.

Disputa. 63.

Necessario sequi OPORTET *in conuersione nouam obedientiam, & iusticiam bonæ conscientiæ, sicut scriptum est, Qui non diligit, manet in morte.*

In explicatione Symboli Niceni, Cap. de bonis operibus. Quæst. 4.

Sic & DEBITVM *intelligatur non extortum coactione seu metu pœnarũ, sed ordo, quem Deus immutabiliter sanxit, Sicut Paulus inquit, Debitores sumus. Hoc breuiter moneo de natiua uocum significatione, & iuniores adhortor, ut rectè loqui & iudicare studeant.*

EX AVGVSTINO IN Iohan. Tractat. 12.

OPORTET, *ut oderis in te opus tuum, & ames opus Dei.*

Ibidem Tract. 41.

Ex parte libertas, ex parte SERVITVS.

Ibidem.

DEBET *homo, quamuis longè minus amet*

amet Deum, quam eum potest conspectum, nihil tamen appetere illicitum.

Idem alibi.

Omnis Christianus, cui iam donatum est posse per gratiam, ut Dei faciat uoluntatem, abundare DEBET in operibus bonis: Quia labor eius non erit inanis in Domino. Sic tamen, ut non in se sed in Domino glorietur.

EX AMBROSIO IN Lucam cap. 15.

Iure Deo DEBEMVS obsequium. Si tu non dicis seruo tuo, Recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium, & gratias ei non agis, ita nec in te patietur Dominus tuus.

Ibidem.

Dum uiuimus, DEBEMVS semper bene operari.

EX CHRYSOSTOMO in Epistola ad Roma.

Quaecunque fecerimus, DEBITVM, quando fecerimus, exoluimus.

Ibidem.

Cum dilectionem exhibemus, cum damus egenti, DEBITVM *implemus.*

Ibidem.

Spiritualem OPORTET *esse sine malicia &c.* τὸν πνευματικὸν καὶ ἀπόνηρον εἶναι δεῖ, ἁπλοῦν καὶ ἄδολον, καθάπερ ὁ χριστὸς φησὶν, ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Idem de Fide & Lege.

OPORTET *igitur & ante opera prælucere fidem, & fidei pedissequas esse opera.*

EX BASILIO MAGNO in Asceticis quæst.

287.

Resipiscens DEBET *facere fructus pœnitentia dignos.*

οἱ ἄξιοι καρποὶ τῆς μετανοίας εἰσὶ τὰ ἀντικείμενα τῇ ἁμαρτίᾳ ἔργα δικαιοσύνης, ἅπερ ὁ μετανοῶν καρποφορεῖν ΟΦΕΙΛΕΙ, ποιῶν τὸ εἰρημένον, ἐν παντὶ ἔργῳ καρποφοροῦντες.

Ibidem quæst. 288.

OPVS *est fructibus pœnitentiæ dignis,*

καρ

καρπῶν ΧΡΕΙΑ ἀξίων τῆς μετανοίας, κατὰ τὸ γεγραμμένον, ποιήσατε καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας, ἵνα μὴ τὰ τῆς ἐπιφερομένης ἀπειλῆς συμβῇ ἐν τῇ ἐλλείψει τῶν καρπῶν.

Idem.

Benemeritis debemus beneuolentiam. τοῖς εὐεργέταις πᾶσαν εὔνοιαν ἐκπληροῦν ΟΦΕΙΛΟΜΕΝ.

EX GREGORIO NAZIanzeno Theologo.

Legibus & Canonibus Domini SVBIECTVS *es.*

Secundum Canones Domini OPORTET *uiuere.*

Anima & corpus sunt SVBIECTA *legibus.*

Sensus hominis non sunt liberi & sui iuris, sed quilibet eorum est SERVVS *legum.*

Νόμοις ΥΠΟΚΕΙΣΑΙ καὶ κανόσι δεσποτικοῖς, καθ' οὓς σε ΠΡΟΣΗΚΕΙ ζῆν, καὶ τοῦτο ἀπὸ σαυτοῦ πρῶτον κατανόησον, ὅτι καὶ ἡ ψυχή σου πανταχόθεν τοῖς τῆς ἀρετῆς ὑπόκειται παραγγέλμασι. Ἔλαβες καὶ σῶμα παρὰ τοῦ κτίσαντος πέντε αἰσθήσεσιν εἰς τὰς τῆς ζωῆς χρείας οἰκονομούμενον.

εἰσὶ δὲ οὐδ᾽ αὗται ἐλεύθεροι καὶ αὐτόνομοι, ἀλλ᾽ ἑκάστη δούλη νόμων ἐστί.

EX EVSEBIO EMIseno in Domin. 4. post Epipha.

Hanc consuetudinem Christiani haben DEBENT, *ut quotidiè ad Ecclesiam ueniant, quotidiè legant ipsi, uel, si hoc non ualent, alios legentes audiant.*

EX LACTANTIO libro 6. Cap. 13.

Tum magis iusticiam operari DEBET, *cum factus est iustus.*

EX BERNARDO super Cantica.

Homo magis Deo DEBITOR *est, quam Deus homini.*

IIII. CAPVT.

DI

DE NECESSITATE Nouæ obedientiæ & bonorum operum.

Ratione expressæ uoluntatis Dei, & ratione mandati de ipsis:

Cui omnes Christiani obedientiam debent.

EX SACRIS.

I. Exempla mandatorum, præceptorum seu admonitionum.

Matth. 3. FACITE *fructus pœnitentia dignos.*

Matth. 4. DILIGES Dominum Deum *tuum, & illi soli seruies.*

Matth. 5. LVCEAT *lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent Deum, qui in cœlis est.*

Matth. 5. 6. & 7. *per totum.*

Lucæ 3. FACITE *fructus pœnitentia dignos, & ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham.*

Lucæ

Lucæ 6. ESTOTE misericordes, sicut & Pater uester misericors est.

Iohan. 5. Ecce sanus factus es, iam NOLI PECCARE, ne tibi deterius aliquid contingat.

Iohan. 8. Vade & iam amplius NOLI PECCARE.

Iohan. 14. Si diligitis me, SERVATE MANDATA mea.

Rom. 6. EXHIBETE membra uestra seruire iusticiæ in sanctificationem.

Ibidem. NON REGNET peccatum in mortali corpore uestro, ut obediatis concupiscentijs eius.

Rom. 13. REDDITE omnibus debita, tributum cui tributum.

1. Cor. 5. EXPVRGATE uetus fermentum, sicut estis Azymi.

Gal. 6. Alter alterius onera PORTATE, & sic adimplebitis legem Christi.

Ephes. 5. ESTOTE imitatores Dei sicut filij carißimi & AMBVLATE in dilectione.

Ephes. 6. Filij OBEDITE parentibus uestris in Domino. Hoc enim iustum est. HONORA patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promißione.

Philip. 4. *Modestia uestra* NOTA SIT *omnibus hominibus.*

Coloss. 3. MORTIFICATE *membra uestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciem, libidinem, concupiscentiam malam & internam.*

1. Thess. 5. *Sine intermißione* ORATE, *in omnibus* GRATIAS AGITE *Hæc enim est uoluntas* Dei *in omnibus uobis.*

1. Timoth. 1. MILITA *bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam.*

1. Timoth. 5. PRAECIPE, *ut sint irreprehensibiles.*

Tit. 2. *In omnibus* TEIPSVM PRAEBE *exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.*

Ebræ. 12. *Sanctimoniam* SEQVIMINI, *sine qua nemo uidebit* Deum, *contemplantes nequis* DESIT *gratiæ* Dei, *ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat & per illum iniquinentur multi. Ne quis fornicator aut prophanus ut* Esau.

Iacob. 1. ESTOTE *factores uerbi & non auditotes tantum fallentes uosmetipsos.*

Iacob. 4. SVBDITI ESTOTE Deo, *resistite autem* Diabolo, *& aufugiet à uobis:* APPROPINQVATE Deo *& appropinquabit uobis &c.*

1. Pet. 2. Conuersationem uestram inter gentes HABETE bonam, ut in eo, in quo detrectant uobis tanquam malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes, glorificent Deum.

Ibidem. Omnes HONORATE, fraternitatem DILIGITE, Deum TIMETE, Regem HONORIFICATE.

1. Pet. 5. HVMILIAMINI sub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore uisitationis.

2. Pet. 1. SATAGITE fratres, ut certam faciatis uocationem uestram & electionem.

Ibidem. MINISTRATE in fide uestra uirtutem, in uirtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem &c.

1. Iohan. 2. Filioli mei hæc scribo uobis, ut NON PECCETIS.

Iesa. 1. DISCITE rectè facere, & DESINITE malè facere.

Psal. 33 PROHIBE linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. DECLINA à malo & FAC bonum, INQVIRE pacem & persequere eam.

Psal. 36. SPERA in Domino & FAC bonitatem, & inhabita terram, & uictum QVAERE honestè. Ezech.

Ezech. 20. In præceptis meis AMBVLATE, *& iudicia mea* CVSTODITE, *&* FACITE *ea.*

II. Exempla de uoce Voluntatis & uelle.

Matth. 9. Oseæ 6. Misericordiam VOLO, *non sacrificium.*

1. Theß. 4. Scitis quæ præcepta dederim uobis per Dominum Iesum Christum. Hæc est enim VOLVNTAS *Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione &c.*

1. Theß. 5. Sine intermißione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim VOLVNTAS *Dei in Christo Iesu in omnibus uobis.*

1. Pet. 2. Sic est VOLVNTAS *Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentiam ignorantium.*

Psal. 5. NON VOLENS *iniquitatem, tu es.*

III. Exempla de uocabulis mandati, præcepti, legis & cognatorum.

Ezech. 20. In PRAECEPTIS *meis ambulate, & iudicia mea custodite, & facite ea.*

Ioh.

Iohan. 13. MANDATVM nouum do uobis, ut diligatis uos inuicem, ſicut & ego dilexi uos.

Iohan. 15. Hoc eſt PRAECEPTVM meum, ut diligatis uos inuicem, ſicut dilexi uos.

Ibidem. Hæc MANDO uobis, ut diligatis inuicem.

Iohan. 14. Si diligitis me ſeruate MANDATA mea.

Iohan. 15. Si PRAECEPTA mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego PRAECEPTA Patris mei ſeruaui & maneo in eius dilectione.

Ibidem. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego PRAECIPIO uobis.

1. Iohan. 3. Hoc eſt MANDATVM eius, ut credamus in nomine filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alterutrum, ſicut dedit MANDATVM nobis.

1. Iohan. 4. Hoc MANDATVM habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem.

Ibidem. Hæc eſt annunciatio, quam audiuiſtis ab initio, ut DILIGAMVS alterutrum.

1. Iohan. 2. Qui dicit ſe noſſe Chriſtum &

& MANDATA eius non custodit, mendax est, & in eo ueritas non est.

1. Timoth. 5. PRAECIPE, ut sint irreprehensibiles.

Gal. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis LEGEM Christi.

IIII. Exempla de admonitionibus.

Titum 1. Oportet Episcopum talem esse, ut sit potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.

Titum 2. Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio.

Titum 3. Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire et ad omne opus bonum paratos esse.

EX CONFESSIONE Augustana, in editione priori.

Articulo 6.

Ecclesiæ magno consensu apud nos docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera MANDATA à

Deo facere PROPTER VOLVNTATEM DEI, *non ut confidamus per ea opera iustificationem coram* Deo *mereri.*

Articulo 20.

Docent nostri, quod NECESSE *sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed* PROPTER VOLVNTATEM DEI.

EX EADEM IN EDItione posteriori.

DEVS REQVIRIT *hanc obedientiam, ut resistamus uiciosis affectibus.*

EX LVTHERO TOmo 1. fol. 238.

Primum quæro ab insigni uestra prudentia, quibus sit Euangelium *datum, lapidibus an lignis? Si hominibus, cur ergo non tenentur præcepta* Dei *tenere, quando* Christus *dicit, ne unum iota præteriturum? Doleo miro modo uos* Inconsutilistas *&* Tauricastros *sic desipere, ut negetis homines esse debitores seruandæ* VOLVNTATIS *& præceptorum* Dei.

Ibidem.

Vos

Vos trahitis homines ad iudicium, dum non sinitis se agnoscere peccatores & PRAECEPTORVM Dei debitores.

Tomo 2. fol. 280.

Opera legis diuinae necessaria sunt dicente Christo Matth. 19. Si uis in uitam ingredi, serua MANDATA.

Tom. 5. folio 208.

Non Cyclopum more uagandum est neq; scholasticis neq; alijs ordinibus in hac uita, sine lege, sine disciplina, quasi nullam obedientiam erga sua MANDATA exigat Deus.

Ibidem folio 308.

Postquam fidem in Christum sic docuimus, docemus etiam de bonis operibus. Quia apprehendisti fide Christum, per quem iustus es, incipe nunc bene operari, dilige Deum & proximum, inuoca, gratias age, praedica, confitere Deum, Benefac & serui proximo, Fac officium tuum. Haec uerè sunt bona opera, quae fluunt ex fide.

Tomo 6. folio 211.

Moralia, quae uocant, ut sunt ex secunda tabula obedientia erga Magistratum, ex

primi, inuocatio & gratiarum actio. Hæc ita sunt mandata, ut perpetuo fieri debeant singulis diebus, imo horis.

In Genesin Tomo 2. fol. 36.

Non enim nuda sunt opera, sed ornata uerbo Dei. *Sunt enim diuinitus tibi* INIVNCTA.

Ibidem folio 9.

Obedientia uera est non facere, quod tu elegeris uel tibi imperaueris, sed quod Dominus *per uerbum suum iusserit.*

EX D. PHILIPPO MElanthone, in locis penultimis.

De bonis operibus.

Mandatum Dei *est, ut præstemus hanc obedientiam: quia clarè præcipit,* AGITE *pœnitentiam.*

Ibidem.

Si quis hic disputat ultro sine mandato hæc fieri in renouatis, is per me sanè delectetur huiusmodi ἀκριβολογίαις. *Ego à uocabulo præcepti cur abhorream, non uideo. Et Christus dicit,*

dicit, MANDATVM *meum est: Et Paulus,* DEBITORES *sumus.*

Ibidem.

Necessitas MANDATI *est una causa, quare sint opera bona facienda.*

In Matthæ. Cap. 6.

Opera & negocia sunt necessaria, quæ Deus tibi PRAECIPIT, *quæq; tui officij ratio postulat.*

In enarra. Eth. lib. 3. Cap. 5.

Sæpè monemus quatuor esse causas, propter quas hæc diligentia (scilicet in disciplina seu in regendis actionibus ne ruant contra conscientiam) necessaria est. Prima propter MANDATVM *Dei, Secunda ad uitandas pœnas &c. ut supra cap. 1.*

In oratione Domini de Dan.

Manifesta insania & Cyclopum & Cynicorum furor est dicere obedientiam, quam leges diuinæ PRAECIPIVNT, *non esse necessariam.*

In locis ultimis, de bonis operibus.

Manet ordinatio Dei æterna & immutatabilis, ut uoluntati Dei creatura obtemperet. Hæc ordinatio immutabilis est mandati & debiti NECESSITAS, *sicut Paulus inquit, Debitores sumus.*

In confutatione Bauaricorum Articulorum.

Debitum & necessarium significant hic ordinem diuinum & immutabilem, quo creatura rationalis Deo Creatori subiecta est.

Ibidem.

Nouæ obedientiæ inchoatio est NECESSARIA. *Hanc propositionem adfirmo ueram esse & contra Antinomos constanter retinendam: quia hic ordo diuinus & immutabilis est, ut creatura rationalis Deo obediat.*

In Commentario ad Rom. Cap. 7.

Manet ordo Dei immotus ut creatura obediat

diat Deo. De hac causa loquitur Paulus infra, cum inquit, Debitores sumus.

In Commentario ad Rom. Cap. 8.

Noua obedientia est eo ipso necessaria, quia hic ordo est æternus, ut creatura Dei uolens obediat Deo.

In Disputationibus. Disputatione 23.

Aeterna est obligatio obedientiæ erga Deum.

Disput. 69.

Noua obedientia non est meritum uitæ æternæ, sed est necessaria ideo, quia manet ordo immutabilis, ut creatura rationalis Deo obediat, & quia ad æternam iusticiam restituimur.

Disputat. 70.

Cum Paulus dicat, Debitores sumus, etiam dubium non est nouam obedientiam necessariam esse eo ipso, quia hic ordo diuinus immutabilis est, ut creatura rationalis Deo obtemperet.

In propoſitionibus D. Eberi &c.

Vera eſt propoſitio, Noua obedientia eſt NECESSARIA, non addimus hanc particulam ad ſalutem, ſed dicimus ſine ulla Sophiſtica Neceſſariam eſſe, quia hunc ordinem ſanxit Deus.

In ſubſcriptione quadam ad ſcriptum Abdiæ Prætorij.

Deo iuuante, in tota æternitate hoc dicam, Rationalem creaturam debere obedientiam Deo.

In explicatione Symboli Nice. Cap. de bonis operibus.

Cum inquit Paulus, Debitores ſumus, intelligit neceßitatem ordinem à Deo ſancitum, quo creatura ſubiecta eſt creatori, quo uult Deus immutabiliter, ut et uolens obtemperet creatura rationalis, & ſciat non eſſe faciendum contra illum ordinem.

Ibidem quæſtio. 4

Sciat conuerſus, quanquam non ſatisfacimus

mus legi Dei, tamen Deum uerè & immutabiliter VELLE, ut inchoetur noua obedientia.

Ibidem.

Sic igitur dico, Noua obedientia est necessaria necessitate ordinis causæ & effectus, Item necessitate debiti seu MANDATI.

EX BASILIO MAgno in Asceticis quæst. 288.

OPVS est fructibus pœnitentia dignis, iuxta id, quod scriptum est, FACITE fructus pœnitentia dignos, ut non eueniant ea quæ in comminatione continentur, in defectu fructuum &c.

V. CAPVT.

DE NECESSITATE EOrum.

Ratione beneplaciti diuini in actionibus obedientiæ nouæ & operum bonorum.

Cuius nomine quiuis Christianus nihil non facere debet.

EX SACRIS.

Psal. 146.

BENEPLACITVM est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.

Ecclesiastici 35.

SACRIFICIVM salutare est attendere mandatis & discedere ab omni iniquitate.

Ibidem.

BENEPLACITVM est Domino recedere ab iniquitate.

Rom. 14.

Qui in hoc seruit Christo, PLACET Deo & probatus est hominibus.

Coloss. 3.

Filij obedite parentibus per omnia. Hoc enim PLACITVM est in Domino.

I. Timoth. 5.

Si qua uidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere & mutuam uicem reddere parentibus. Hoc enim ACCEPTVM est coram Deo.

EX CONFESSIONE Augustana in editione posteriori.

Arti,

Articu. 6.

PLACET *hæc obedientia non quia legi satisfaciat, sed quia persona est in Christo reconciliata fide.*

EX LVTHERO TOMO 3. folio 468.

Noua obedientia Deo GRATA & ACCEPTA *est, quia fit debito fine, ut scilicet obediatur* Deo, *non ut instituatur satisfactio propria.*

Ibidem folio 478.

Sicut sacrificia in lege Deo *fuere suauis* odor propter *fiduciam misericordiæ, qua persona prius iustificata erat:* Ita *nostra quoq; obedientia & sancta opera* PLACEBVNT *propter fidem in Christum in suo proprio fine, quod scilicet non fiunt ad iusticiam, sed ad testimonium quod grati simus & gratuito iustificati.*

In Genesin Tomo 1. fol. 18.

Neq; uero ad uitam solum renascitur, sed etiam ad iusticiam, quia fides accipit meritum Christi & statuit nos per Christi mortem liberatos esse, Inde *alia iusticia nostra oritur, nempe illa*

illa uitae nouitas, qua studemus obtemperare Deo, edocti uerbo & adiuti per Spiritum Sanctum. Sed haec iusticia incipitur tantum, neq; potest in hac carne esse perfecta.

PLACET autem Deo non tanquam perfecta aut tanquam precium pro peccatis, sed quia proficiscitur ex corde, quod nititur fiducia misericordiae Dei per Christum.

Ibidem folio 75.

Opera, quae sequuntur, sunt ceu testimonia fidei & PLACENT Deo non propter se simpliciter, sed propter fidem seu propter personam credentem.

EX D. PHILIPPO MElanthone in locis penultimis de bonis operibus.

Necessaria est obedientia & PLACET Deo, sed in reconciliatis.

VI. CAPVT.

DE NECESSITATE EOorum, Ratione promissionis de remuneratione.

EX

EX SACRIS.

Matth. 10.

Qui confitebitur me coram hominibus, eum confitebor & ego coram Patre meo.

Ibidem.

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, MERCEDEM Prophetæ accipiet.

Ibidem.

Qui dat uni ex minimis istis potum calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, Amen dico uobis, non perdet MERCEDEM suam.

Lucæ 11.

BEATI, qui audiunt uerbum Dei & custodiunt illud.

Rom. 8.

Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, VIVETIS.

1. Timoth. 4.

Pietas habet PROMISSIONEM præsentis & futuræ uitæ.

Iacob. 1.

Beatus uir, qui suffert tentationem: quoniam

niam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam REPROMISIT *Dominus diligentibus se.*

EX LVTHERO
In Genes. Tomo 1. folio 37.

Maneat ergo ista sententia firma, Quod omnia sint facienda secundum præceptum Dei, ut poßimus certo in eo conscientia statuere, quod à Deo iußi hæc faciamus. In tali igitur statu uocationis, qui Deo placet, qui currunt non currunt in uacuum, nec uerberant aerem, sicut illi, qui non habent stadium, in quo decurrere iußi sunt.

In Genes. Tomo 2. folio 112.

Leue esse apparet poculum frigidæ aquæ dare sitienti, sed tu Christum audi, quam id commendet magnificè & quæ promittat præmia.

VII. CAPVT.

DE

DE NECESSITATE EORUM, Ratione ingentium Dei beneficiorum.

EX SACRIS.

Matth. 18.

Serue nequam, omne debitum illud, dimisi tibi: quia rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?

Rom. 6.

Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ.

EX LVTHERO

In Epistolis folio. 114.

Merita Christi potius imponunt, quam relaxant bona opera pœnitentiæ, ut Petrus apertè dicit, Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamini uestigia eius.

EX D. PHILIPPO MElanthone in locis ultimis de bonis operibus,

Necessi

NECESSITAS *debiti est una causa, quare opera sint facienda.*

Ibidem de Pœnitentia.

Cum reconciliati sumus, postea debet sequi iusticia bonæ conscientiæ.

EX CYPRIANO, TRActatu 2. de habitu uirginum.

Postquam contulit Deus sanitatem, nec habenis liberis & solutis postmodum uagari patitur.

EX LACTANTIO lib. 6. Cap. 13.

Tum magis iusticiam operari debet, cum factus est iustus.

VIII. CAPVT.

DE NECESSITATE EOrum, Ratione conditionis & uocationis nostræ.

EX SACRIS.

Iohan.

Iohan. 15.

Constitui uos, ut eatis & fructum feratis.

Rom. 6.

Sepulti sumus unà cum Christo per baptismum in mortem, ut, quemadmodum Christus ex mortuis resurrexit, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.

Ibidem.

Liberati à peccato serui facti estis iusticiæ.

1. Cor. 6.

Empti estis precio: Glorificate & portate Deum in corpore uestro & in spiritu uestro, quæ sunt Dei.

Ephe. 2.

Ipsius factura sumus conditi ad opera bona in Christo Iesu, quæ præparauit Deus, ut in ijs ambularemus.

Ephes. 4.

Obsecro uos, ut dignè ambuletis uocatione, qua uocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine.

Coloss. 3.

Induite uos sicut electi Dei, sancti & dilecti, uis-

cti, uiscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.

I. Thessa. 2.

Testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui uocauit nos in suum regnum & gloriam.

I. Thess. 4.

Non uocauit uos Deus in immundiciem, sed in sanctificationem.

I. Thess. 5.

Nos, qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei & caritatis.

Titum. 2.

Apparuit salutaris gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & piè uiuamus in hoc seculo.

Ibidem.

Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Titum 3.

De his uolo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo.

2. Pet. 1.

Satagite, ut certam uestram uocationem & electionem faciatis.

EX LVTHERO
In Epistolis folio 114.

Merita Christi potius imponunt, quam relaxant bona opera pœnitentiæ, ut Petrus apertè dicit, Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamini uestigia eius.

EX D. PHILIPPO ME-lanthone in Matthæ. Cap. 6.

Opera & negocia sunt necessaria, quæ Deus tibi præcipit, quæq; tui officij ratio postulat.

EX LACTANTIO
lib. 6. Cap. 13.

Tum magis iusticiam operari debet, cum factus est iustus.

IX. CAPVT.

DE NECESSITATE eorum, Ratione stipulationis nostre in baptismo factæ.

Rom. 6.

Sepulti sumus unà cum Christo per baptismum in mortem &c. ut & nos in nouitate uitæ ambulemus.

1. Pet. 3.

Baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ in Deum.

X. CAPVT.

DE NECESSITATE eorum, Ratione imitationis exempli Christi.

EX SACRIS.

Iohan. 13.

Si ego Dominus & Magister uester laui pedes uestros, debetis & uos alter alterius pedes lauare. EXEMPLVM *enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci; sic & uos faciatis.*

Iohan. 15.

Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui.

Rom.

X. CAPVT.

Rom. 8.

Hæredes ſumus Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut conglorificemur.

Ibidem.

Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij Dei.

Epheſ. 5.

Imitatores eſtote Chriſti ſicut filij cariſsimi, & ambulate in dilectione.

Coloſſ. 3.

Si quis habet aduerſus aliquem quærelam, donate uobismetipſis: Sicut & Dominus donauit nobis, ita & uos.

1. Pet. 2.

Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens exemplum, ut ſequamini ueſtigia eius.

1. Iohan. 2.

Qui dicit ſe in eo manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.

XI. CAPVT.

DE NECESSITATE EOrum, Ratione inchoationis obedientiæ legalis.

EX SACRIS.

Matth. 5.

Non ueni soluere legem sed implere.

Ibidem.

Amen dico uobis, donec transeat cœlum & terra, iota unum aut apex unus non præteribit à lege, donec omnia fiant.

Ibidem.

Qui soluerit unum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum.

Rom. 3.

Legem ergò destruimus per fidem? Absit, sed legem stabilimus.

Rom. 8.

De peccato damnauit peccatum in carne, ut ius legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

EX APOLOGIA ARTIculo de dilectione.

Oportet legem in nobis inchoari, & magis magisq; fieri.

EX CONFESSIONE SAxonica contra Tridentinum Concilium scripta.

Folio 128. in 1. Tomo D. Philippi.

De necessitate benè operandi inquit Dominus, Nisi abundauerit iusticia uestra &c.

EX LVTHERO

In disputationibus contra Antinomos.

Cum Christus uenerit non soluere, sed implere legem, frustra uenit, si nulla sit lex in nobis implenda: Et cum lex Dei requirat obedientiam nostram erga Deum, tollunt isti NOMOMACHI etiam obedientiam erga DEVM.

Ibidem.

Bona opera & salus sunt necessaria ad legis impletionem.

Tomo 2. fol. 280.

NECESSARIA *sunt opera legis diuinæ dicente Christo Matth. 19. Si uis in uitam ingredi, serua mandata.*

De uotis Monasticis.

Opera Decalogi non possunt magis omitti quam ipsa fides. Nec sunt minus necessaria quam fides.

EX D. PHILIPPO MElanthone Dominica Trinit. 6.

Oportet adesse iusticiam operum: Quia dicit, Non ueni soluere legem.

In explicatione Symboli Niceni Cap. de lege diuina.

Etsi in nemine præter filium Dei fulsit, & fulget perfecta obedientia sine ullo peccato, tamen in omnibus, qui conuertuntur, inchoari obedientiam necesse est, iuxta dictum, Per fidem lex stabilitur.

XII. CAPVT.

DE NECESSITATE EOrum, Ratione consequentiæ & connexionis cum fide.

EX SACRIS.

Matth. 7.

Omnis arbor bona fructus bonos facit.

Ibidem.

Non potest arbor bona fructus malos facere.

Gal. 5.

Fides per caritatem operatur.

Ibidem.

Fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo &c.

Ibidem.

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum omnibus uicijs & concupiscentijs.

1. Cor. 13.

Ibidem.

Bona opera & salus sunt necessaria ad legis impletionem.

Tomo 2. fol. 280.

NECESSARIA *sunt opera legis diuinæ dicente Christo Matth. 19. Si uis in uitam ingredi, serua mandata.*

De uotis Monasticis.

Opera Decalogi non possunt magis omitti quam ipsa fides. Nec sunt minus necessaria quam fides.

EX D. PHILIPPO MElanthone Dominica Trinit. 6.

Oportet adesse iusticiam operum: Quia dicit, Non ueni soluere legem.

In explicatione Symboli Niceni Cap. de lege diuina.

Etsi in nemine præter filium Dei fulsit, & fulget perfecta obedientia sine ullo peccato, tamen in omnibus, qui conuertuntur, inchoari obedientiam necesse est, iuxta dictum, Per fidem lex stabilitur.

XII. CAPVT.

DE NECESSITATE EOrum, Ratione consequentiæ & connexionis cum fide.

EX SACRIS.

Matth. 7.

Omnis arbor bona fructus bonos facit.

Ibidem.

Non potest arbor bona fructus malos facere.

Gal. 5.

Fides per caritatem operatur.

Ibidem.

Fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo &c.

Ibidem.

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum omnibus uicijs & concupiscentijs.

1. Cor. 13.

Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum.

I. Timoth. I.

Repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragium fecerunt.

Iacob. 2.

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?

Ibidem.

Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

Ibidem.

Ostende mihi fidem tuam sine operibus & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.

Ibidem.

Sicut corpus sine Spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.

EX LVTHERO TOMO I. folio 434.

Valde opus est exhortari exemplo Pauli credentes ad bene operandum, hoc est, ad exercendam

cendam fidem bonis operibus. Ea enim nisi sequuntur, certißimum signum est fidem non esse ueram.

Tomo 2. folio 280.

Opera legis diuinæ non possunt omitti præsente fide, quæ sola iustificat, cum sint fructus fidei iustificantis. Fides enim sine operibus mortua est, & nihil ualet 1. Corinth. 13. Et Petrus in fide uirtutem requirit, Et Pau. Galatis fidem operosam per dilectionem præscribit.

In Genesin Tomo 1. fol. 75.

Opera, quæ sequuntur, sunt ceu testimonia fidei.

In Thematibus anni 20.

Impoßibile est fidem esse sine aßiduis, multis & magnis operibus.

Ibidem Themate 15.

Rectè ergò dictum, Fides sine operibus est mortua, imo non est fides.

In disputatione de dicto Pauli, Arbitramur hominem &c.

Disputat. 5.

Etsi absq; lege & absq; operibus legis iustificamur per fidem, tamen in fide non sine operibus uiuimus.

EX D. PHILIPPO MElanthone, in confutatione Bauaricorum Articulorum.

Nouæ obedientiæ inchoatio necessaria etiam est propter causæ & effectus consensum, iuxta dictum, Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei.

Domin. Trinit. 3.

Vbicunq; est fides, qua placeamus Deo, ibi necesse est simul esse iusticiam bonæ conscientiæ.

Ibidem.

Vt fides retineri poßit, necesse est retineri iusticiam bonæ conscientiæ, ut 1. Ioh. 3. dicitur, Si cor nostrum non reprechendit nos, fiduciam habemus erga Deum.

EX

EX AVGVSTINO IN Sermone de tempore 51.

Fides sine operibus est ociosa fides.

EX CHRYSOSTOMO de Fide & Lege.

Oportet igitur & ante opera prælucere fidem, & fide pedissequas esse opera.

EX BASILIO MAGNO ἀσκητ. folio 565.

πάντων μὲν τοι τῶν ἐγχειρημάτων ἡγείσθω πίστις ἡ εἰς θεὸν καὶ συνεπέσθω τὸ εὔελπι, ἵνα τῇ μὲν δύναμιν τῆς ψυχῆς ἐρειδώμεθα, τῇ δὲ εὐελπιστίᾳ πρὸς τὰ καλὰ προθυμώμεθα, οὐδὲ γὰρ ἡ περὶ τὰ καλὰ τῶν ἀνθρώπων ἐγχείρησις δίχα τῆς ἄνωθεν βοηθείας πληρωθήσεται, οὐδὲ ἡ ἄνωθεν χάρις ἐπὶ τὸν μὴ σπουδάζοντα παραγένοιτ' ἄν, ἀλλ' ἑκάτερα συγκεκρᾶσθαι ΠΡΟΣΗΚΕΙ σπουδήν τε ἀνθρωπίνην καὶ τὴν διὰ τῆς πίστεως ἄνωθεν καθήκουσαν συμμαχίαν εἰς πλείωσιν ἀρετῆς.

EX

EX CYPRIANO TRActatu 3. de simplicitate Praelatorum.

Credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere praecepit.

XIII. CAPVT.

DE NECESSITATE EOrum, Ratione effectuum & commodorum nouae obedientiae & operum bonorum.

EX SACRIS.

Matth. 5.

Luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & GLORIFICENT Patrem uestrum, qui in coelis est.

Iohan. 15.

In hoc GLORIFICATVS est Pater meus, ut fructum copiosum adferatis.

Ibidem.

Vos amici mei estis, si feceritis quae praecipio uobis.

1. Pet.

1. Petri 2.

Conuersationem inter gentes habete bonam, ut in eo, quod detrectant uobis tanquam malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes GLORIFICENT Deum in die uisitationis.

Rom. 13.

Dilectio proximi malum non operatur.

Rom. 15.

Vnusquisq; uestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.

Matth. 7.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

2. Pet. 1.

Satagite, ut certam faciatis uestram uocationem & electionem.

Iohan. 15.

In hoc cognoscent omnes, quod sitis mei discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem.

1. Cor. 13.

Si omnem fidem habeam, caritatem autem non habeam, nihil sum.

Iohan.

Iohan. 15.

Manete in me & ego in uobis.

1. Iohan. 3.

Qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo.

1. Iohan. 4.

Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.

Rom. 8.

De peccato, damnauit peccatum in carne, ut ius legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.

1. Thessa. 4.

Sic etiam ambuletis, ut abundetis magis.

Ibidem.

Rogamus uos fratres, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti sitis, & ut uestrum negocium agatis &c. ut & honeste ambuletis ad eos qui foris sunt.

Gene. 22.

Nunc cognoui, quod timeas Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.

Matth.

Matth. 5.

Nisi abundauerit iusticia uestra plus quam Pharisæorum & Scribarum, non introibitis in regnum cœlorum.

Matth. 19.

Si uis ad uitam ingredi, serua mandata.

1. Timo. 1.

Milita militiam bonam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Rom. 13.

NECESSE *est obedire, non tantum propter iram, uerumetiam propter conscientiam.*

1. Pet. 2.

Conuersationem inter gentes habete bonam, ut in eo, quæ detrectant uobis tanquam malefactoribus, uos considerantes glorificent Deum in die uisitationis.

Gene. 4.

Si bene egeris, recipies.

Matth. 10.

Qui Prophetam in nomine Prophetæ receperit, MERCEDEM *Prophetæ accipiet.*

Ibidem.

Qui dederit uni ex minimis istis potum calicem aquæ frigidæ, non perdet MERCEDEM *suam.*

Lucæ 11.

Beati, qui audiunt uerbum Dei, *& custodiunt illud.*

Rom. 8.

Si spiritu facta carnis mortificaueritis, VIVETIS.

Ibidem.

Diligentibus Deum *omnia cooperantur in bonum.*

1. Timo. 4.

Pietas ad omnia utilis est, promißionem habens præsentis & futuræ uitæ.

1. Timo. 6.

QVAESTVS *magnus est pietas cum sufficientia.*

2. Timoth. 4.

Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo REPOSITA *est mihi corona iusticiæ, quam reddet mihi* Dominus *in illa die iustus iudex.*

1. Ioh.

1. Ioh. 4.

Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet.

EX CONFESSIONE Augustana in editione posteriori.

Articu. 20.

Quanquam igitur hæc noua obedientia pro nil abest à perfectione legis, tamẽ est iusticia & meretur præmia ideo, quia personæ reconciliatæ sunt.

EX CONFESSIONE SAxonica contra Tridentinum Concilium scripta.

Folio 128. in 1. Tomo D. Philippi.

Necessitatis causæ plures sunt, debitum, id est, ordo immutabilis, ut creaturæ Deo obtemperent. Ideo Paulus inquit Rom. 8. Debitores estis. Item, Ne Spiritus sanctus & fides excutiantur. Accedit & cura uitandi pœnas præsentes. Quia certissimum est plurimos etiam lapsus horribiliter puniri in hac uita.

EX CONFESSIONE VVirtebergensi tempore Concilij Tridentini scripta.

In Cap. de Satisfactione.

Postquam satisfactio Christi nobis applicata & per fidem accepta est, necessario debemus bona opera, quæ à Deo præcepta sunt, facere, non ut ijs expiemus peccata coram Deo, sed ut ad declarandam obedientiam nostram bonos fructus pœnitentiæ proferamus, & gratitudinem nostram testificemur.

EX LVTHERO

In Matthæ. Cap. 9.

Cum dicit, ueni uocare peccatores ad pœnitentiam, hoc insigniter notandum est contra peruersos & abutentes gratia Dei, seu, ut Iudas dicit, transferentes gratiam Dei in luxuriam. Nam Christiana libertate hodie abutuntur plurimi, dicentes Gratia, Gratia. Ergo non opus est bona opera facere, aut mala pati. Hi faciunt ex gratia luxuriam, id est, propriam libidinem faciendi, quæ uolunt. Et ex remißione peccatorum, licentiam peccatorum, ut hodie multi nimis.

Ibi-

Ibidem.

Christus hic dicit sese uocare quidem peccatores, sed non ad licentiam peccandi, neq; ad libidinem faciendi, quæ uelis: Sed ad pœnitentiam, scilicet ad mortificationem peccatorum.

Tomo 4. folio 165.

Vetus homo quotidie debet mori, ut destruatur corpus peccati.

Ibidem folio 351.

Coram hominibus conspici innocentiam oportet exempli causa, iuxta illud, Luceat lux uestra.

Tomo 4. folio 293.

Bona opera conscientiam confirmant.

Sic bona opera, ut Petrus ait, certos faciunt de uocatione, & liberant à conscientia malorum operum inter homines.

Tomo 5. folio 228.

Igitur necessaria sunt præcepta, non ut per opera eorum iustificemur, sed ut iam iusti facti sciamus, qua ratione Spiritus noster carnem crucifigat, & in rebus huius uitæ dirigat, ne caro insolescat & ruptis frenis sessorem Spiritum fidei excutiat.

Tomo 6. folio 283.

Neceſſe eſt, ut ſit etiam externa ſignifica-
tio beneuolentiæ PROPTER ALIOS.

Tomo 7. folio 499.

In hoc cognoſcent omnes, inquiens, quod ſitis diſcipuli mei, ſi caritatem habueritis inter uos mutuò. Et hæc ſecunda Chriſtianæ doctrinæ & principalis pars eſt.

In diſputationib. de dicto Pauli, Arbitramur hominem &c.

Diſput. 5.

Initium nouæ creaturæ oſtendit ſeſe per bona opera, & certam facit uocationem noſtram.

Ibidem in 4. diſputatione de eodem dicto.

Iuſtificatio, bona opera & ſalus ſunt neceſſaria ad legis impletionem.

In diſputatione quadam contra Antinomos, idq; in reſponſionibus.

Opera gratiæ ſunt neceſſaria, ut teſtentur

de fide, ut glorificent Deum Patrem, qui in cœlis est, ut seruiant proximo.

Ibidem.

Bona opera nostra seu obedientia nostra sunt necessaria, ut testentur de fide, ut glorificent Deum & seruiant proximo.

In Gene. Tomo 2. fol. 182.

Opera hæc præstant, ut fides in eis exerceatur, & per ea quasi augescat & pinguescat. Dum enim præstat obedientiam hanc Abraham, & cum suis domesticis circumciditur, recordatur fides promittentis & recipientis nos.

Ibidem.

Ad hunc modum etsi obedientia hæc non iustificat, tamen fidem certificat & quasi illustrat, ut posит conspici. Hinc dicit Apocalypsis, Qui iustus est, iustificetur adhuc.

Ibidem folio 75.

Opera, quæ sequuntur sunt ceu testimonia fidei.

Ibidem folio 102.

Sic Petrus iubet, ut certificemus electionem nostram per bona opera. Sunt enim testi-

testimonium, quod gratia in nobis efficax, & quod uocati & electi simus. Contra fides ociosa, quæ non exercetur, moritur & extinguitur cito. Extincta autem fide, dubium est an simus uocati & electi. Quia autem in aßiduo fidei exercitio progreditur, is concludit: Non sum in exercitu contra Christum, sed pro Christo, non nego uerbum, non persequor Ecclesiam. Igitur sum uocatus ad regnum Dei & electus.

Tomo 4. folio 130.

Omnia opera tantum debent ualere ad testificandam fidem, non ad conferendam iustitiam.

Ibidem folio 231.

Finis omnium operum legis est, non uita æterna, quam iam ante habemus per fidem, sed ut fidem hac obedientia testemur etiam coram hominibus, & carnem ac cupiditates nostras, quæ spiritui repugnant, mortificemus.

Tomo 5. folio 375.

Cur lex sit, si non iustificat? Finalis causa obedientiæ legis in iustis non est iusticia coram Deo, quæ sola fide accipitur, sed pax mundi, gratificatio

tificatio erga Deum & bonum exemplum, quo alios inuitant ad credendum Euangelio.

Ibidem folio 432.

OPVS nobis est testimonio conscientiæ de ministerio recte administrato, & uita etiam bene peracta.

Ibidem folio 461.

Hactenus docuit Petrus, quid faciendum, ut carnem cum omnibus desiderijs suis restinguamus. Nunc docet etiam causam, cur id fieri oporteat. Quam igitur ob rem frenanda est caro? ut salutem consequar? Minime, sed ideo, ut honestam coram mundo habeam conuersationem.

Ibidem.

Bonam conuersationem non mei commodi gratia gerere debeo, sed ut inde gentes ad meliora prouocentur, ac uelut pelliceantur, ut per nos ad Christum perueniant.

Tomo 3. folio 475.

Sed inquies, An non ad regenerationem pertinet noua uita? ita, sed sicut fructus non sunt, nisi sit prius arbor, ita non possunt esse bona opera, nisi prius persona sit iusta & bona.

In Genes. Tomo 1. fol. 137.

Maneat ergo illa sententia firma, quod omnia sint facienda secundum præceptum Dei, ut poßimus certo in conscientia statuere, quod à Deo iußi hæc facimus. In tali igitur statu uocationis, qui Deo placet, qui currunt, non currunt in uacuum, nec uerberant aerem sicut illi, qui non habent stadium, in quo decurrere iußi sunt.

In Gene. Tomo 2. folio 112.

Leue esse apparet poculum frigidæ aquæ dare sitienti, sed tu Christum audi, quam id commendet magnificè, & quæ promittat præmia.

Tomo 3. folio 531.

Significat enim alia opera esse mortuorum opera: Eos autem, qui in Christo uiuunt debere esse in agnoscenda & prædicanda misericordia Dei, ut eam alij quoq; discant agnoscere.

EX D. PHILIPPO MElanthone in locis ultimis de bonis operibus.

Necess

Necesßitas retinendæ fidei est una causa, quare bona opera sint facienda.

Dominica Trinitatis 3.

Vt fides retineri poßit, necesse est retineri iusticiam bonæ conscientiæ, ut 1 Iohan. 3. dicitur, Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus erga Deum.

Ibidem.

Necesßitas uitandi pœnas est una causa, quare bona opera sint facienda.

In Enarrationibus Ethicorum lib. 3. Cap. 5.

Sæpè monemus esse quatuor causas, propter quas hæc diligeniia necessaria est. 1. Propter mandatum Dei. 2. Ad uitandas pœnas: 3. Vt aliorum tranquillitati seruiamus. 4. Vt sit pædagogia in Christum, quia spiritus sanctus non est efficax in his, qui perseuerant in delictis contra conscientiam. Hæ quatuor causæ semper sint in conspectu, ut nos ad regendos mores exuscitent. Hoc cum fit, addamus etiam ueram pœnitentiam & fidem.

EX AVGVSTINO DE spiritu & litera Cap. 36.

Omni homini necessarium est dare.

ut deo

ut detur, dimittere, ut dimittatur illi, & si quid habet iusticiæ, non de suo sibi esse præsumere, sed de gratia iustificantis Dei.

Idem alibi.

Omnis Christianus, cui iam donatum est posse per gratiam, ut Dei faciat uoluntatem, abundare debet in operibus bonis: Quia labor eius non erit inanis in Domino. Sic tamen, ut non in se, sed in Domino glorietur.

EX VRBANO REGIO in lib. de formulis caute loquendi.

Opera nostra sunt omnino necessaria: quia suum officium habent.

1. Sunt debitum obsequiũ et præceptum à Deo, quod nos creaturæ creatori debemus: Sunt uelut gratiarum actio pro beneficijs Dei, & sacrificia Deo grata propter personam Christi fidelem.

2. Pater cœlestis per hæc in nobis glorificatur, Matth. 5.

3. Operibus bonis fides nostra exercetur & promouetur, ut crescat & uegetetur.

4. Opera bona sunt testimonia nostræ fidei erga proximum, quibus proximus ædificatur &

& ad imitandum prouocatur, & in suis necessitatibus adiuuatur.

5. Per bona opera mihi mea uocatio certa fit. Cum enim amo proximum, & beneficijs orno, experior meam fidem non esse fictam, & me esse Christianum.

6. Bona opera nostra, etiamsi immensos illos thesauros, remißionem peccatorum, iustificationem, liberationem à morte & diabolo, non mereantur (Hoc enim solus facit Christus Iesus) tamen ex gratuita promißione diuina merentur præmia corporalia & spiritualia, & in hac uita, & post hanc uitam, non quod Deus nobis aliquid debeat, sed quia promisit ex misericordia & uerax est. Ideo reddet nobis ea propter nomen suum gloriosum, quemadmodum scriptum est Iere. 17. Ego Dominus scrutans corda & probans renes, qui do unicuiq; iuxta uiam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum. Matt. 16. Futurum est, ut Filius hominis ueniat cum gloria Patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; iuxta facta ipsius. Idem Rom. 2. & Matth. 25. satis ostendit, quam sint sibi grata opera bona ex fide facta, Nam dicit, Esuriui & dedistis mihi manducare &c.

Idem

Idem in locis Theologicis Cap. de fide, caritate, spe.

Opera ad duo ualent: Ad corpus subigendum & ad seruiendum proximo, quemadmodum Christus seruiuit nobis Philip. 2.

XIIII. CAPVT.

DE NECESSITATE EOrum, Ratione commendationum & Encomiorum.

EX SACRIS.

Ecclesiastici 35.

Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate.

Ibidem.

Qui facit misericordiam, offert sacrificium.

Ibidem.

Beneplacitum est Domino, cedere ab iniquitate.

EX

EX CONFESSIONE Augustana in editione posteriori.

Articulo 20.

Ita de operibus iudicandum est, quod quidem amplissimis laudibus ornanda sint, quod sint necessaria, quod sint cultus Dei & sacrificia spiritualia.

EX LVTHERO In Genes. Tomo 1, folio 89

Merito igitur commendatur hoc in loco obedientia erga Deum seu timor.

Ibidem folio 126.

Fecit igitur Noah omnia, quae praeceperat illi Dominus. Haec phrasis in scriptura admodum est frequens. Est autem hic primus locus, in quo sub ista forma commendatur obedientia erga Deum.

Tomo 2. folio 112.

Leue esse apparet poculum frigidae aquae dare sitienti, sed tu Christum audi, quam id commendet magnifice & quae promittat praemia.

XV. CAPVT.

DE NECESSITATE EOrum ratione incommodorum, periculorum et aliorum malorum emergentium cum ex omissione bonorum operum, tum ex commissione malorum.

EX SACRIS.

Gene. 4.

Si male egeris, peccatum tuum quiescet, donec reueletur.

Exod. 20.

Ego sum Dominus Deus zelotes, uisitans iniquitatem in filios in tertiam & quartam generationem.

Leuit. 26.

Si spreueritis leges meas & iudicia mea contempseritis, uisitabo uos uelociter in ægestate, ponam faciem meam contra uos, & corruetis coram hostibus uestris.

Ibidem.

Si

Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec uolueritis audire me, addam plagas uestras in septuplum propter peccata uestra.

Numeri 15.

Verbum Domini contempsit, & praeceptum illius irritum fecit. Idcirco delebitur, & portabit iniquitatem suam.

1. Reg. 2.

Quicunq; contemnunt me, erunt ignobiles.

Ezech. 33.

Cum recesserit iustus à iusticia sua, feceritq; iniquitates, morietur in eis.

Hoseæ 7.

Væ eis, qui recesserint à me, uastabuntur: quia praeuaricati sunt.

Matth. 7.

Omnis arbor, quae non fert fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur.

Matth. 5.

Nisi abundauerit iusticia uestra plus quam Scribarum & Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.

Ibidem.

Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in uia cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro.

Matth. 7.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Matth. 18.

Vae homini, per quem scandalum uenit.

Rom. 8.

Si secundum carnem uixeritis, moriemini.

Rom. 13.

Necesse est obedire, non solum propter iram &c.

1. Cor. 9.

Vae mihi, si non Euangelisauero.

Gala. 5.

Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

1. Timoth. 1.

Repellens

Repellentes bonam conſcientiam circa fidem naufragium fecerunt: Inter quos ſunt Hymeneus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.

Ebræo. 13.

Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.

1. Iohan. 3.

Nemo uos decipiat, Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt.

Ibidem.

Qui non diligit, manet in morte.

EX CONFESSIONE Auguſtana in editione poſteriori.

Articu. 6.

Qui obtemperant prauis cupiditatibus & agunt contra conſcientiam, uerſantur in peccatis mortalibus, nec fidei iuſticiam, nec iuſticiam bonorum operum retinent, iuxta illud, Qui talia agunt, regnum Dei non poßidebunt.

Ibidem Articulo 20.

Qui non repugnant, ſed obtemperant uiciosis affectibus contra mandatum Dei, *& admittunt actiones contra conſcientiam, hi ſunt iniuſti, & neq; Spiritum ſanctum, neq; fidem, id eſt, fiduciam miſericordiæ retinent.*

EX CONFESSIONE SAxonica contra Tridentinum Concilium ſcripta, folio 128. in 1 Tomo D. Philippi.

Hæc *manifeſta neceßitas propoſita ſumma pœna, uidelicet amißione uitæ æternæ, ſiquos non mouet ad bonum operandum, hi ſunt iam ex his, de quibus dicitur.* 1. Iohan. 3. *Qui facit peccatum, ex* Diabolo *eſt.*

Ibidem.

De *neceßitate benè operandi inquit* Dominus, *Niſi abundauerit iuſticia ueſtra plus quam Scribarum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Ibidem.

Accedit & cura uitandi pœnas præſentes.

tes. Quia certissimum est plurimos etiam lapsus horribiliter puniri in hac uita.

EX LVTHERO Tomo 5. folio 14.

Christiani libertate hodiè abutuntur plurimi dicentes, Gratia, Gratia. Ergo non est opus bona facere aut mala pati. Hi faciunt ex gratia luxuriam, id est, propriam libidinem faciendi, quæ uolunt, & ex remissione peccatorum licentiam peccatorum, ut hodiè multi nimis.

EX D. PHILIPPO MElanthone in locis ultimis de bonis operibus.

Necessitas uitandi pœnas est una causa, quare bona opera sint facienda.

Disputa. 63.

Necessariò sequi oportet in conuersione nouam obedientiam, & iusticiam bonæ conscientiæ, sicut scriptum est, Qui non dilgit, manet in morte.

In locis penultimis de bonis operibus.

Tanta est necessitas bonorum operum, ut Paulus dicat, Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

In Epistola ad Roma. Anni 1556. Cap. 13.

Necessitatem sic declarat Paulus, ut intelligatur de obligatione conscientiæ, & de æternis pœnis, uidelicet nisi fiat conuersio.

EX CHRYSOSTOMO

Spiritualem oportet esse sine malicia.

τὸν πνευματικὸν καὶ ἀπόνηρον εἶναι δεῖ, ἁπλοῦν καὶ ἄδολον, καθάπερ ὁ χριστὸς φησίν, ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

EX BASILIO MAGNO

Si oportet Dei hominem perfectum esse, omnis necessitas est per omnia præcepta absolui.

οὐ δυνατὸν σωθῆναι μὴ ποιοῦντα τὰ κατ' ἐντολὴν τοῦ θεοῦ ἔργα, οὐδὲ τὸ παριδεῖν τι τῶν προστεταγμένων ἀκίνδυνον. Δεινὴ γὰρ ἔπαρσις κριτὰς ἡμᾶς τοῦ νομοθέτου καθέζεσθαι, καὶ τοὺς μὲν ἐγκρίνειν τῶν νόμων, τοὺς δὲ παρεκπέμπεσθαι. Εἰ γὰρ δεῖ τέλειον εἶναι τὸν τοῦ θεοῦ ἄνθρωπον, ἈΝΑΓΚΗ πᾶσα διὰ πάσης ἐντολῆς καταρτισθῆναι εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ χριστοῦ.

In Aſceticis quæſt. 288.

Opus eſt fructibus pœnitentia dignis, iuxta id, quod ſcriptum eſt, Facite fructus pœnitentia dignos, ut non eueniant ea, quæ in commimatione continentur, in defectu fructuum &c.

EX ORIGENE IN Epiſt. ad Rom. lib. 3.

Poſt iuſtificationem ſiquis iniuſtè aget, ſine dubio iuſtificationis gratiam ſpreuit. Non ob hoc quis accipit ueniam peccatorum, ut rurſum ſibi putet peccandi licentiam datam.

EX VRBANO REGIO in locis Theologicis Cap. de libertate.

Paulus ad Titum 2. hortatur seruos, ut dominis pareant, ne ob eorum inobedientiam sermo Dei malè audiat.

Idem 1. Timo. 6. Vult fideles dominos non contemni, quod fratres sint, sed magis honorari.

Ephes. 6. Dominis iuxta carnem obediri iubet, in simplicitate cordis.

Catalogus incommodorum ex commissione peccatorum, seu operum malorum, recens editus à D. Iohanne Matthesio.

1 *Excidit è gratia, ut Saul, 1. Samuel. 15.*

2 *Conculcat sanguinem Christi, Hebræor. 6.*

3 *Excutit Spiritum sanctum, 1. Sam. 16.*

4 *Contristat Angelos in cœlo, Lucæ 15. Eph. 4.*

5 *Offendit Ecclesiam Dei uiuentis, Matth, 18.*

6. Ab-

6 Abnegat primam fidem, Apo. 2.
7 Maculat fœdus Baptismi, Rom. 6. Galat. 3.
8 Notā inurit Euangelio, Ro. 1.
9 Vulnerat suam conscientiam, Psal. 11. Hebræ. 10 Rom. 2.
10 Impedit & irritam facit suam inuocationem, Matth. 5.
11 Amittit sua dona, 1. Sam. 16.
12 Confirmat & obdurat aduersarios, 2. Sam. 12.

Filioli hæc scribo, ne peccetis: Nam qui peccat

13 Infœlix est in sua uocatione, Gene. 3. Deut. 28.
14 Malè agendo peius agere consuescit, Apoca. 22.
15 Indurabit suum cor, Heb. 4.
16 Perdet bonam famam.
17 Fit seruus peccati, Iohan. 8.
18 Et mancipium Satanæ, 2. Petri 2.
19 Est ex Diabolo, 1. Iohan. 3.
20 Irritat in se iram & indignationem Dei, Rom. 2.
21 Accersit sibi & alijs pœnas, Deut. 27.
22 Imponit debitum suis posteris, 2. Samu. 12. 23.

23 *Qui delinquit in uno, reus est omnium, Iacob. 2.*

24 *Excommunicat sese ex communione sanctorum, 1. Cor. 5.*

25 *Reus est mortis & gehennæ, Matth. 25.*

26 *Etsi perseuerat in malo proposito, igni inextinguibili perpetuò subijcietur, Ioh. 15. Matth. 3. 8. 25.*

XVI. CAPVT.

DE ERRORIBVS in hac materia.

EX SACRIS.

Matth. 5.

Qui soluerit unum ex minimis mandatis istis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum.

I. Timoth. I.

Repellentes bonam conscientiam circa fidem, naufragium fecerunt, inter quos sunt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

In

In Epistola Iudæ.

Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impij, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam.

Ibidem.

In nouissimis temporibus uenient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.

EX LVTHERO

Tomo 1. fol. 402. in disputatione contra Antinomos.

NOMOMACHI *tollunt obedientiam erga Deum.*

In Gene. Tomo 2. folio 119.

In Antinomorum dogmate erat hæc propositio, Si quis esset adulter, tantum ut crederet, & habiturum Deum propicium. Sed qualis erit quæso Ecclesia, in qua tam horribilis uox sonat?

Ibidem

Ibidem folio 123.

Moneo uos, ut caueatis Antinomos, Non enim ſunt contenti, quod ipſi pereunt. Volunt nos quoq; ſecum rapere ad interitum, ac ſuis peccatis onerare, dum ea reprehendi nolunt, ſicut Sodomitæ.

Ibidem folio 232.

Antinomi docent ſimpliciter omnia peccata ſublata, nec arguenda eſſe, nec homines terrendos lege, ſicut Iſmaelitæ imaginati ſunt: Quia ſœmur Abrahæ ſanctum eſt. Ideo omnia eſſe ſancta. Diſsimulant quidem hoc ſedulo Antinomi, & fucos dogmati ſuo quærunt: Sed hoc monſtri occultè alunt. Peccatum eſt remiſſum, nihil eſt damnationis. Igitur peccatum eſt nihil, aut prorſus eſt ſublatum Rom. 8.

Ibidem folio 124.

Hæc diligenter cogitata excitabunt te, ut de tuo quoq; periculo cogites, & peccare deſinas, ac ueniam peccatorum expoſcas. Hoc ſtulti & cœci Antinomi GRIKEL & IEKEL non norunt. Moneo igitur, ut caueatis tales. Sunt enim fanatici ſpiritus & rerũ ſpiritualium imperiti, inflati autem uana opinione doctrinæ & ſapientiæ.

Tomo

Tomo 5. folio 414.

Ea eſt dementia & furor omnium impiorum doctorum & fanaticorum ſpirituum, quod non ſolum relinquant fundamentum uerum & doctrinam puram & ſolidam, ſed etiam hærentes in ſuperſtitionibus ſuis, minus attingunt bona opera.

Ibidem.

Pſeudoapoſtoli non docebant aut urgebant opera caritatis eſſe facienda, ut Chriſtiani ſeſe mutuò diligerent, ut parati eſſent ad ferendam opem in quacunq; neceßitate proximi.

Ibidem.

Satan utriq; doctrinæ de fide & bonis operibus infenſus eſt, & acerrimè reſiſtit.

Ibidem.

Satan non ſolum doctrinam fidei, ſed etiam bonorum operum uehementer odit & impedit.

Ibidem folio 14.

Chriſtiani hodiè abutuntur libertate plurimi dicentes, Gratia, Gratia. Ergo non eſt opus bona facere, aut mala pati. Hi faciunt ex gratia

gratia luxuriam, id est, propriam libidinem faciendi, quæ uolunt, & ex remißione peccatorum licentiam peccatorum, ut hodie multi nimis.

Ibidem folio 414.

Paulus de caritate præcipiens oblique simul taxat uanos Doctores, in quos spicula sua dirigat, ut doctrinam suam quoq; de bonis operibus contra ipsos defendat & confirmet.

In 6. disputatione contra Antinomos.

ANTINOMI uitandi sunt, ut licentiæ & indulgentiæ ad omnia facinora præstantißimi magistri. Non enim Christo, sed suo VENTRI seruiunt, & hominibus PLACERE uolunt, & die humano GLORIAM furenter quærunt.

EX D. PHILIPPO Melanthone in locis penultimis de bonis operibus.

Si quis hic disputat ultrò sine mandato hæc fieri in renouatis, is per me sanè delectetur huiusmodi ἀκριβολογίαις.

In

In ultima disputati-one.

Has portentosas & Diabolicas uoces (Noua obedientia non est necessaria, seu bona opera non sunt necessaria) detestamur, & dolemus tantam aliquorum audaciam esse, ut in Ecclesia Dei hæc sonare audeant.

In Commentario ad Rom. Cap. 8.

Aliqui inepti reprehendunt has formas loquendi, Noua obedientia est debita, Item, Noua obedientia est necessaria, Et dicunt intelligi coactionem seu obedientiam metu extortam. Hæc interpretatio non est natiua in uerbis debiti & necessitatis. Significant enim hæc uerba ordinem immutabilem, non significant propriè coactionem, quæ fit metu pœnarum.

Ibidem Cap. 7.

AGRESTE *est intelligere necessitatem coactionem.*

In confutatione Bauaricorum Articulorum.

Quidam

Quidam dicunt debitum & neceſſarium eſſe metu aut coactione extortum. Ea eſt inſulſa interpretatio & ἀκυρολογία. Sunt ineptiæ indoctorum temulentorum, præſtigatorum.

Ibidem.

Nouæ obedientiæ inchoatio eſt neceſſaria. Hanc propoſitionem adfirmo ueram eſſe, & contra Antinomos conſtanter retinendam.

Ibidem.

Damno Antinomos, qui uociferantur, Nouam obedientiam non eſſe neceſſariam, nec debitum, contra regulam, Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam.

In oratione Domini de Dan.

Cynicorum potius, quam Chriſtianorum locutio eſt, hanc propoſitionem eſſe falſam, Bona opera ſunt neceſſaria. Mirabitur poſteritas ſeculum fuiſſe tam furioſum, in quo talis inſaniæ applauſores habuerit.

Ibidem.

Manifeſta inſania & Cyclopum & Cynicorum

nicorum furor est dicere obedientiam, quam leges diuinæ præcipiunt, non est necessariam.

In Epistola ad D. Georgium Fagium.

Est barbaries, intelligere necessarium coactione extortum. Significat enim ordinatum à Deo immutabiliter.

In Epistola ad Abdiam Prætorium.

Non abijciam has propositiones, Noua obedientia est necessaria, seu bona opera sunt necessaria, etiamsi dira mihi minitetur tota illa factio Antinomorum.

In Explicatione Symboli Niceni Cap. de bonis operibus.

Vocabulum Necessitatis propriè non significat uiolentam coactionem, ut indocti sæpè interpretantur, ut cum dicitur, Latro captus definit necessario latrocinari, ubi necessitas significat coactionem foris accedentem, etiam cum uoluntas repugnat.

Ibidem in 4. quæst.

Scio quosdam petulanter ludos & præstigias quærere in harum uocum Neceßitatis & Debiti deprauationibus, qui cum non habeant studium ueritatis, nolo cum eis rixari.

Ibidem.

INSVLSVM *est necessaria interpretari extorta coactione uel metu pœnarum.*

LIBER SECVNDVS DE LEGE MOSAICA MORALI.

I. CAPVT.

REGVLAE QVAEDAM.

I.

Lex Mosaica Moralis est constans, perpetua, immutabilis & immota Dei uoluntas & sententia, obligans omnes homines uel ad obedientiam uel ad pœnam.

II.

Vsus istius legis in his naturæ nostræ conditionibus, prout in Ecclesia usurpatur, tractatur, & explicatur, duplex est

Pri-

Primum prodest ad iudicium de peccatis, hoc est, ad demonstrationem peccati, ad accusationem, & ad condemnationem temporalem & aeternam, excepto pœnitentiæ casu ratione Euangelij.

Secundò prodest ad pædagogiam uel commonefactionem de actionibus uel operibus nouæ erga Deū obedientiæ, de qua Euangelium docet.

Ex his duobus usibus prior est iudicialis & comminatorius: Is pertinet ad peccatores: Et competit legi ratione comminationum legis: Et perficitur seu consistit in commemoratione præceptorum & comminationum. Eius exemplum est Act. 2. Posterior uero est pædagogicus & didascalicus uel monitorius: Is pertinet ad credentes: Et competit ei ratione præceptorum & promißionum: Et perficitur seu consistit in commemoratione & explicatione præceptorum, promißionum & comminationum simul.

Illis duobus additur interdum adhuc unus, qui uocatur Politicus uel ciuilis, pertinens ad omnes homines, & ad externam eorum disciplinam &c. Iste pertinet ad omnes homines ratione ueteris Adami: Inprimis tamen ad securos: Et competit ei ratione præceptorum. Idem autem perficitur seu consistit in commemoratione præ-

ceptorum & comminationum: Et concurrit in illo quasi coactio quaedam.

III.

Ex his duobus fundamentis sequuntur sex corollaria.

1. Quod lex Moralis pertineat ad omnes homines sine exceptione.

2. Quod pertineat non tantum ad Iudaeos, uerumetiam ad Christianos.

3. Quod pertineat non tantum ad impios & peccatores, uerum etiam ad credentes & renatos, sed seruata iusta accommodatione.

4. Quod concionem legis oporteat in Ecclesia necessario retineri.

5. Quod concionis eius duplex sit ratio: Altera est iudicialis, altera paedagogica: Sed seruata iusta distributione.

6. Quod non tantum doctrinae uerumetiam uitae ratione sit in Ecclesia retinenda & exprimenda.

IIII.

Interdum etiam de abrogatione legis Moralis uel de libertate Christianorũ à lege dici solet: Sed hoc debet intelligi de comminatione, non de praeceptis: De maledicto, non de paedagogia uel admonitione: De obligatione ad poenam, non de obligatione

ligatione ad obedientiam: De pœna, non de obe-
dientia: De lege comminante, accusante & con-
demnante, non de mandante. Interim tamen hoc
quoq; addendum est, quod ista ipsa abrogatio
seu libertas tantum pertineat ad credentes &
renatos.

V.

Hæc est usitatißima omnium orthodoxo-
rum in his capitibus doctrina.

Huic uero soli illi contradicunt, qui legem
ex Ecclesia tollunt, ita ut asserant nihil eam ad
renatos pertinere. Sed tales usitatißimo nomi-
ne paßim ab omnibus orthodoxis ANTI-
NOMI nuncupantur.

II. CAPVT.

De I. Regula.

Lex Moralis est constans, perpetua, immu-
tabilis & immota Dei uoluntas, obligans omnes
homines uel ad obedientiam uel ad pœnam.

EX SACRIS.

Matth. 5.

Non ueni soluere legem, sed implere. Ibi-

Ibidem.

Amen dico uobis, donec prætericrit cœlum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit ex lege, quoad omnia facta fuerint.

Ibidem.

Qui soluerit unum ex minimis istis, & docuerit ita homines, minimus erit in regno cœlorum.

Rom. 2.

Opus legis in cordibus eorum scriptum.

EX LVTHERO TOMO 3. folio 5.

Sacra scriptura ostendit legem esse Dei uocem seu sententiam immutabilem, præcipientem, quales nos esse, & quid facere, & quid omittere oporteat.

Tomo 7. folio 27.

Volo (inquit Christus) ut omnia puré & perfectè doceantur & seruentur, & ne minimum quidem de lege omittatur.

In 2. disputatione contra Antinomos.

Lex

Lex ut fuit ante Christum, nos quidem accusans, sub Christo autem per remißionem peccatorum, placata & deinceps spiritu implenda, ita post Christum in futura uita manebit impleta siue facta, quod interea exegit, creatura noua.

Ibidem.

Lex nunqam in æternum tollitur: sed manebit uel implenda in damnatis, uel impleta in beatis.

In 3. disputatione contra Antino.

Ipsa oratio Dominica docet legem esse ante sub & post Euangelium.

In 4. disputatione contra Antino.

Lex adest nobis ante, & in principio, medio, fine & post iustificationem.

Tomo 6. folio 211.

Moralia quæ uocant, ut sunt ex secunda tabula obedientia erga Magistratus, ex prima, inuocatio & gratiarum actio, hæc ita sunt mandata, ut perpetuò fieri debeant, singulis diebus, imo horis.

EX D. PHILIPPO MElanthone in locis ultimis de lege.

Lex Dei est regula æterna & immota mentis diuinæ & iudicium aduersus peccatum, quod impressum est humanis mentibus, & sæpè Dei uoce prædicatum.

Ibidem.

Leges Morales sunt æterna Dei sententia & regula: Nec mutantur temporibus.

Ibidem.

Leges Morales semper sunt mansuræ.

In Examine.

Lex Moralis non potest extingui: Sed manet ordo diuinus, ut homo iterum fiat conformis Deo, Sicut Rom 3. dicitur, Per fidem stabilitur Lex. Item Rom. 8. Vt iu legis in nobis impleatur.

Ibidem.

Lex Moralis est æterna & immota sapientia & regula iusticiæ in Deo.

Idem

Idem in disputationibus, disputatione de libertate Christiana.

Hæc Lex est æterna & immutabilis, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & diliges proximum. Ideo ait Christus, Si uis in uitam ingredi, serua mandata: Et Paulus inquit ad Romanos, Debitores estis.

III. CAPVT.

DE SECVNDA REGVLA, & de Corollario 5. in 3. Regula.

Vsus legis Moralis in his naturæ nostræ conditionibus, prout in Ecclesia usurpatur, tractatur & explicatur, duplex est &c. Sic etiam duplex eius est prædicatio, Iudicialis & Pædagogica &c.

EX SACRIS.

Rom. 3.

Per legem cognitio peccati.

1. Corinth. 15.

Virtus peccati lex est.

Rom. 7.

Concupiscentiam peccatum esse ignorabam, nisi lex diceret, Non concupisces.

1. Timoth. 1.

Iusto non est lex posita: Nempe, quoad accusationem, maledictionem & condemnationem.

Psal. 18.

Lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans paruulis.

Psal. 1.

In lege Domini uoluptas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

1. Timoth. 1.

Lex bona, iusta, sancta, legitimè utentibus ea.

EX LVTHERO

Tomo 2. folio 9.

Vocem legis proferri oportet, ut terreantur & in suorum peccatorum noticiam reducantur.

Tomo 3. folio 3.

Absq; lege Dei ratio nostra prorsus nullam peccati cognitionem haberet. Hoc enim prorsus ignorat ratio, quod Deo non credere &

& desperare sunt peccata: Imo hoc quoq; ignorat, quod Deus exigat illa à nobis. Vide plura. Ad hanc coecitatem & præsumptionem tollendam Mosis ministerio opus est &c.

Ibidem folio 15.

Sacra scriptura ostendit Legem esse Dei uocem seu sententiam immutabilem, præcipientem, quales nos esse, & quid facere, quid omittere oporteat.

Ibidem.

Lex requirit perfectam obedientiam erga Deum iuxta ea, quæ in Decalogo præcipiuntur, ac denuncians æternam iram &c.

Tomo 5. folio 228. & 229.

Igitur necessaria sunt præcepta, non ut per opera eorum iustificemur, sed ut iam iusti sciamus, qua ratione Spiritus noster carnem crucifigat & in rebus huius uitæ dirigat, ne caro insolescat, & ruptis frenis sessorem Spiritum fidei excutiat.

Tomo 3. folio 577.

Hæc uita sine lege non potest consistere.

Quæ

Quæ enim reipub. forma futura esset, si cædes, si adulteria, furta non punirentur? Deinde oportet piorum etiam exercitia uerbo Dei regi. Ad hunc usum relinquit Deus legem, & accipit eam pro obedientia in ijs, qui credunt. Sed quod ad ipsum peccatum attinet, iubet, ut posita omni fiducia legis tantum speremus in misericordiam, quam in Christo Iesu pro peccatis nostris passo ostendit Deus. Ita tollitur præsumptio & relinquitur timor, non qualis in desperatis est, sed qualem inuenias apud rectè institutos liberos erga patrem.

Tomo 4. folio 130.

Ergo utrumq; Deus facit: Exigit à Iudæis illa opera legis & non exigit. Exigit simpliciter in testimonium fidei ipsorum, ne sint inobedientes uoci & uerbo eius, & in commodum proximi. At uide hominum stulticiam, qui hunc ordinem planè peruertunt.

Ibidem folio 231.

Finis omnium operum legis est non uita æterna, quam iam antè habemus per fidem, sed ut fidem hac obedientia testemur etiam coram hominibus, & carnem ac cupiditates nostras, quæ spiritui repugnant, mortificemus.

Tomo

Tomo 5. fol. 375.

Cur lex sit, si non iustificat? Finalis causa obedientiæ legis in iustis non est iusticia coram Deo, quæ sola fide accipitur, sed pax mundi, gratificatio erga Deum & bonum exemplum, quo alios inuitant ad credendum Euangelio.

Tomo 6. folio 252.

Arguenda sunt peccata & proponenda ira Dei propter incredulos, qui in Ecclesia sunt: Imo etiam propter credentes, ne adhærescenti peccato & innatæ imbecillitati indulgeant.

Ibidem folio 708.

Doctrina legis retineri debet: Quia necessaria est ad conseruationem disciplinæ, ideo strictißimè est tenenda. Non enim abijcienda est lex propter promißionem gratiæ, sed est docenda, ut retineatur disciplina & doctrina de bonis operibus, ut erudiamur ad cognitionem & humiliationem nostri post peccatum. Hic uerus & necessarius usus legis est. Opus enim est nobis in hac uita magistratu & parentibus, qui præmijs & pœnis tuentur disciplinam & qui seruant legem, ac piè ac prudenter mores suos regunt & dirigunt ad normam legis. Hi

sunt

sunt iusti, & ornat Deus hanc iusticiam externis præmijs.

In disputatione quadam contra Antinomos, idq; in responsionibus.

Necessaria est lex, quia est bona, sancta, ad humiliandos animos, ad custodiendam externam disciplinam, Sed tamen non est necessaria ad iustificationem uel salutem.

In disputationib. de dicto Pauli, Arbitramur hominem &c.

Disput. 5.

Lex hoc etiam officium habet, ut testificetur iusticiam fidei, simulq; ostendat, qualis creatura ante peccatum fuimus, & post peccatum futuri simus.

In 2. disputatione contra Antinomos.

Lex Dei requirit obedientiam nostram erga Deum.

In 4. disputatione contra Antinomos.

Non

Non tollitur per Christum Lex, sed restituitur, ut fiat Adam talis, qualis fuit, & etiam melior.

In 5. disputatione contra eosdem.

Lex promiscuè docenda est, sicut & Euangelium, tam pijs quam impijs. Impijs ut territi agnoscant suum peccatum, mortem & ineuitabilem iram Dei, per quam humilientur: Pijs ut admoneantur carnem suam crucifigere cum concupiscentijs & uicijs, ne securi fiant.

EX D. PHILIPPO MElanthone in locis ultimis de lege.

Lex Dei est doctrina à Deo tradita, praecipiens, quales nos esse & quae facere, quae omittere oporteat, & requirens perfectam obedientiam erga Deum, ac pronuncians irasci Deum & punire aeterna morte non praestantes perfectam obedientiam.

Ibidem.

Primus usus legis est politicus, scilicet, coercere omnes homines externa disciplina.

2. Osten-

2. *Ostendere peccatum, accusare, perterrefacere ac damnare, omnes homines in hac corruptione naturæ.* 3. *Docere certa opera, in quibus uult nos Deus exercere obedientiam.*

In Examine.

Legis Moralis usus tres sunt. 1. *Est Pædagogicus seu politicus pertinens ad omnes homines, id est, obligare omnes homines, ut regant externa facta.* 2. *Est iudicium uniuersale accusans omnia peccata in hominibus, interiora & exteriora, & totam deprauationem.* 3. *Vsus est in renatis docere, qui cultus placeant Deo &c.*

EX AVGVSTINO Epistola 89.

Lex data est in adiutorium illis, qui ea legitimè utuntur, ut per illam sciant, uel quid iusticiæ iam acceperint, unde gratias agant, uel quid adhuc eis desit, ut instanter petant.

EX HIERONYMO. Quæstione 8. ad Algasiam.

Lex data est, ut peccatorum uenena monstret, & hominem malè libertate sua abutentem,

quo

quo prius ferebatur, improuidus & per præcipitia labebatur, freno legis, retineat & compositis doceat incedere greßibus, ita ut seruiamus in nouitate spiritus & non in uetustate literæ.

EX THEOPHILO ALEXANDRINO lib. 3.

Lex norma est & dux bonorum operum.

IIII. CAPVT.

DE I. COROLLARIO IN 3. Regula, Lex Moralis pertinet ad omnes homines sine exceptione.

EX SACRIS.

Matth. 5.

Non ueni soluere legem, sed implere.

Ibidem.

Qui soluerit unum ex minimis illis, & docuerit sic homines, erit minimus in regno cœlorum.

Rom. 2.

Opus legis in cordibus eorum scriptum.

EX LVTHERO TOmo 3. folio 8.

Sed inquis: Certe Mosi, hoc est, Dei præcepta sunt non habere Deos alienos &c. An non hæc necesse est & nos seruare, an non in uniuersum omnibus hominibus præcepta sunt? Sunt ab omnibus seruanda & ad omnes pertinent, sed non quia à Mose præcepta; sed quia naturæ hominum hæ leges (quæ in Decalogo recitantur) inscriptæ sunt. Impreßit enim Deus has noticias omnibus hominibus in ipsa creatione.

Ibidem folio 405.

Non abijcit Euangelium legem. Est enim Lex quoq; Dei uox, cui parere omnes æquum est.

EX D. PHILIPPO MElanthone in locis ultimis de lege.

Leges Morales pertinent ad omnes gentes.

In locis antepenultimis.

Moralia pertinent ad omnes homines, non propter Mosen, sed propter legem naturæ.

Dispu-

Disputa. 20.

Omnes creaturæ necessario debent obedire. Itaq; neq; à Decalogo, neq; à politicis legibus liberati sumus, quod ad obedientiam attinet.

EX TERTVLLIANO Aduersus Iudæos.

Deus omnibus gentibus legem eandem dedit, quam certis & statutis temporibus obseruari præcepit.

V. CAPVT.

DE II. ET III. COROLlario in 3. Regula, Lex Moralis pertinet non tantum ad Iudæos, uerum etiam ad Christianos. Item, Non tantum ad impios, uerum etiam ad credentes.

EX SACRIS.

Matth. 5.

Non ueni soluere legem.

Ibidem.

Qui sol[illegible]um ex minimis istis, & docuerit sic homines, erit minimus in regno coelorum.

Ibidem.

Repetitur tota propemodum Lex *ad discipulos iam iustificatos.*

Rom. 3.

Non tollimus legem operum per legem fidei, sed stabilimus.

Rom. 15.

Repetuntur pleraq; præcepta ad Romanos *iam de iustificatione institutos.*

Psal. 1.

In lege Domini *uoluptas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.*

1. Timoth. 1.

Lex *bona, iusta, sancta, rectè utentibus ea.*

EX LVTHERO
Tomo 1, folio 238.

Si hominibus datum est Euangelium, *cur ergo non tenentur præcepta* Dei *tenere, quando* Christus *dicit,* Ne *unum iota præteriturum?*

Ibidem.

Vos trahitis homines ad iudicium, dum non sinitis eos sese agnoscere peccatores, & præceptorum Dei *debitores.*

Tomo 3. folio 405.

Non abijcit Euangelium legem. Est enim Lex quoq; Dei uox, cui parere omnes æquum est.

Ibidem folio 577.

Deus non tollit legem. Nam hæc uita sine lege consistere non potest.

Ibidem.

Misericordiam sola fide apprehendimus: Et tamen seruandus est Decalogus.

Tomo 4. folio 130.

Deus exigit opera legis in testimonium fidei, ne sint inobedientes uoci & uerbo eius: Et in commodum proximi.

Ibidem folio 167.

Renati etiam secundum ueterem hominem sunt sub sceptro exactoris: Et opus habent legis doctrina, admonitione & correptione &c.

Tomo 5. folio 413.

Quare meminerint pij se in conscientia coram Deo esse liberos à legis maledicto, à peccato & morte propter Christum: Corpore autem esse

tem esse seruos. Hic alter alteri per caritatem iuxta hoc Pauli præceptum seruire debet.

Tomo 6. folio 211.

Moralia quæ uocant, ut sunt ex secunda tabula obedientia erga Magistratus, ex prima, inuocatio & gratiarum actio, hæc ita sunt mandata, ut perpetuò fieri debeant, singulis diebus, imo horis.

Tomo 6. folio 252.

Arguenda sunt peccata, & proponenda ira Dei propter incredulos, qui in Ecclesia sunt: Imo & propter credentes, ne adhærescenti peccato & innatæ imbecillitati indulgeant.

Tomo 7. folio 24.

Tanto studio eaq; seueritate legem tuebor (inquit Christus) ut non tantum non sim soluturus, sed qui prædicatoris officium obierit, & uel minimũ in lege præceptum abrogauerit aut missum fecerit, ille sciat se meum prædicatorem non esse, sed damnatum & è cœlestium consortio exterminatum.

Ibidem.

Sicut pro nummo reputat præcepta Dei respuere, ita quoq; ille respuendus & reijciendus est.

In

In 3. disputatione contra Antinomos, proposi- tione 27.

Ipsa oratio Dominica docet legem esse ante, sub & post Euangelium.

In disputationib. de dicto Pauli, Ar- bitramur hominem &c.

Disput. 5.

Fatemur iustis non esse positam legem, qua- tenus iusti sunt & spiritu uiuunt: Sed quatenus in carne sunt & corpus peccati habent, esse sub lege.

In 2. disputatione contra An- tinomos.

Cum Christus uenerit non soluere, sed implere legem, frustra uenit, si nulla sit lex in nobis implenda.

Ibidem.

Lex ut fuit ante Christum, nos quidem accusans, sub Christo autem per remis-

ſsionem peccatorum placata, & deinceps ſpiritu implenda, ita poſt Chriſtum in futura uita manebit.

In 3. diſputatione contra Antinomos.

Ipſa oratio Dominica docet legem eſſe ante, ſub & poſt Euangelium.

In 4. diſputatione contra Antinomos.

Lex adeſt nobis ante, & in principio, medio, fine & poſt iuſtificationem.

Ibidem.

Non tollitur per Chriſtum Lex, ſed reſtituitur, ut fiat Adam talis, qualis fuit, & etiam melior.

In 5. contra Antinomos diſput.

Si ſanctis & iuſtis lex eſt proponenda, quibus tamen non eſt poſita, quantò magis impijs & malis, quibus propriè & maximè poſita eſt, debet proponi?

Ibi-

Ibidem.

Pijs eadem (scil: lex) est posita, quatenus non-dum mortui sunt, & in carne adhuc uiuunt.

Ibidem.

Lex promiscuè docenda est, sicut & Euangelium, tam pijs quam impijs. Impijs ut territi agnoscant suum peccatum, mortem & ineuitabilem iram Dei, per quam humilientur: Pijs ut admoneantur carnem suam crucifigere, cum concupiscentijs & uicijs, ne securi fiant.

EX D. PHILIPPO in Examine.

Lex Moralis non potest extingui: sed manet ordo diuinus, ut homo iterum fiat conformis Deo Rom. 3. Per fidem stabilitur Lex. Rom. 8. Vt ius legis in nobis impleatur.

Idem in disputatione de libertate Christiana.

Est & uita spiritualis subiecta legi: quia hæc lex est æterna & immutabilis, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & diliges proximum tuum. Ideo ait Christus, Si uis in uitam in-

tam ingredi, serua mandata. Et Paulus inquit ad Romanos, *Debitores estis.*

EX AVGVSTINO IN lib. de spiritu & litera Cap. 14.

In illis decem præceptis, excepta Sabbati obseruatione, dicatur mihi, quid non sit obseruandum à Christiano, siue de non faciendis colendisq; idolis, alijsq; ullis Dijs, præter unum uerum Deum, siue de non accipiendo nomine Domini inuanum &c.

Ambrosius in 3. Capite ad Roma.

Maior fides est, quam lex: Quia lex ad nos pertimet, fides ad Deum.

EX GREGORIO Nazianzeno.

Νόμοις ὙΠΌΚΕΙΣΑΙ καὶ κανόσι σ' ἑαυτοτι-
κοῖς, καθ' οὓς σε ΠΡΟΣΗΚΕΙ ζῆν, καὶ τοῦτο ἀπὸ
σαυτοῦ πρῶτον κατανόησον, ὅτι καὶ ἡ ψυ-
χή σου πανταχόθεν τοῖς τῆς ἀρετῆς ὑπόκει-
ται παραγγέλμασι. ἔλαβες καὶ σῶμα πα-
ρὰ τοῦ κτίσαντος πέντε αἰσθήσεσιν εἰς τὰς
τῆς ζωῆς χρείας οἰκονομούμενον. εἰσὶ δὲ οὐ-

δὲ

αὐτοὶ ἐλεύθεροι καὶ αὐτόνομοι, ἀλλ' ἐκάστη δούλη νόμων ἐστί.

EX VRBANO REGIO in locis Theologicis.

Moralia non abrogantur, quia pertinent ad ius naturæ, & spectant ad hominem internum.

VI. CAPVT.

DE IIII. COROLLARIO Concionem legis Moralis oportet in Ecclesia necessario retineri.

EX SACRIS.

Matth. 5.

Non ueni soluere legem.

Ibidem.

Qui soluerit unum de minimis istis, & docuerit sic homines, erit minimus in regno cœlorum.

Ibidem.

Repetitur propemodum tota lex.

Rom. 3.

Non tollimus legem, sed stabilimus.

Rom.

Rom 13.

Repetuntur pleraq; præcepta Decalogi.

Ezech. 20.

In præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite, & facite ea.

EX LVTHERO

Tomo 2. folio 9.

Non alterum tantum, sed utrumq; uerbum Dei prædicandum est, noua & uetera proferenda de thesauro tam uox legis, quam uox gratiæ. Vocem legis proferri oportet, ut terreantur & in suorum peccatorum noticiam reducantur, & inde ad pœnitentiam et meliorem uitæ rationem conuertantur.

Tomo 3. fol. 3.

Porro hoc mortis & peccati ministerium non solum non malum, sed maximè necessarium est. Absq; enim lege Dei ratio nostra prorsus nullam peccati cognitionem haberet &c.

Ibidem.

Ad hanc cœcitatem & induratam præsumptionem tollendam Mosis ministerio opus est.

Tomo 4. folio 498.

Legis doctrina Necessaria, sancta & perfecta est.

Ibidem folio 166.

Extra fidem urgenda est Lex.

Ibidem folio 167.

Renati etiam secundum ueterem hominem sunt sub sceptro exactoris, & opus habent legis doctrina, admonitione & correptione.

Tomo 5. folio 229.

Igitur necessaria sunt præcepta, non ut per opera eorum iustificemur, sed ut iam iusti sciamus, qua ratione spiritus noster carnem crucifigat.

Tomo 6. folio 708.

Doctrina legis retineri debet: Quia necessaria est ad conseruationem disciplinæ. Ideo strictißimè est tenenda. Non enim abijcienda lex propter promißionem gratiæ: Sed est docenda, ut retineatur disciplina & doctrina de bonis operibus, ut erudiamur ad cognitionem et humiliationem nostri post peccatum. Hic uerus & necessarius usus legis est.

Tomo

Tomo 7. folio 23.

Volo (inquit Christus) ut omnia purè & perfectè doceantur & seruentur, & ne minimum quidem de lege omittatur.

Ibidem folio 24.

Tantò studio eaq; seueritate legem tuebor (inquit Christus) ut non tantum non sim soluturus, sed qui prædicatoris officium obierit, & uel minimum in lege præceptum abrogauerit aut missum fecerit, ille sciat se meum prædicatorem non esse, sed damnatum & à cœlestium consortio exterminatum.

Ibidem.

Sicut pro nummo reputat præcepta Dei respuere, ita quoq; ille respuendus & reciendus est.

In 2. disputatione contra Antinomos.

Ex his non sequitur legem esse abolendam, & ex concionibus Ecclesiæ tollendam.

Ibidem.

Satis claret legem esse maximè necessariam & utilem.

In 3. disputatione contra Antino.

Christus Matth. 5. Legem Mose non solum recitat, sed etiam perfectè explicat, & non soluendam esse docet.

In 4. disputatione contra Antinomos.

Qui legem docendam esse negant, simpliciter & reuera nullam pœnitentiam esse uolunt.

In 5. disputatione contra Antino.

Necesse est hominem mori, si uelit à lege liberari.

Ibidem.

Legis doctrina in Ecclesijs est necessaria, & omninò retinenda, sine qua Christus retineri non potest.

In disputatione quadam contra Antinomos, idque in responsionibus.

Necessaria est lex, quia est bona, sancta, ad humiliandos homines, ad custodiendam externam disciplinam, Sed tamen non est necessaria ad iustificationem.

In Gene. Tomo 1. folio 150.

Vult

Vult Deus doceri legem & eam reuelat diuinitus, imo omnium hominum mentibus eam inscribit, sicut Paulus probat Rom. 2.

In disputationibus de dicto Pauli, Arbitramur hominem &c. disputat. 5.

Non sic abrogata est lex, ut nihil sit, aut nihil secundum eam facere oporteat.

Ibidem.

Fatemur iustis non esse positam legem, quatenus iusti sunt & spiritu uiuunt: Sed quatenus in carne sunt & corpus peccati habent, esse sub lege.

In 4. disputatione contra Antinomos.

Non tollitur per Christum lex, sed ut fiat Adam talis, qualis fuit, & etiam melior.

In 5. disputatione contra Antinomos.

Necesse est hominem mori, si ea lege uelit liberari.

EX

EX D. PHILIPPO MElanthone in locis ultimis de lege.

Liberati sumus à lege, id est, à maledictione & damnatione seu ab ira Dei, quæ in lege proponitur, scilicet, si fidem retineamus, & fiducia filij Dei repugnemus peccato.

Ibidem.

A damnatione sumus liberati, sed manet lex quoad obedientiam.

In Commentario ad Rom. Cap. 8.

Libertas Euangelica liberat renatos, ne condemnentur à lege, non liberat, ne obediant. Manet enim æternus & immutabilis ordo, ut Deo obediamus.

In disputatione de dicto, Iusto non est lex posita.

Ita duo legis officia cessant in iustis, manet tertium, uidelicet, quod obedientia requiritur: Sed non assuenda est opinio, quæ tollit mediatorem Christum, quasi postea lege iusti sumus, hoc est, propria dignitate.

In explicatione Symboli Niceni Cap. de bonis operibus.

Quæst. 4.

Liberatio à lege non est talis laxatio, ut lex, id est, sapientia & iusticia in Deo desinat, quæ ordinat, ut rationalis creatura sit ipsi conformis.

In disputatione de dicto, Fide iustificamur.

Liberi sumus à lege, non ita, ne fiat, sed quia obligatio cessat iustificationis per legem quærendæ.

Ibidem

Euangelium non abolet legem.

EX VRBANO REGIO in locis Theologicis.

Moralia sunt abrogata, non ut non fiant, sed ut non facta non possint reum damnare persoluente Christo.

Ibidem.

Decas

Decalogus abrogatus est sic, ut chirographum deletum sit.

Ibidem.

Moralia non abrogantur: quia pertinent ad ius naturæ & spectant ad hominem internum.

EX AMBROSIO in Cap. 7. Lucæ.

Lex necessaria est. Per legem enim agnoui peccatum. Si lex non fuisset, peccatum lateret. Agnoscendo peccatum ueniam peto.

VII. CAPVT.

DE V. COROLLARIO in 3. Regula, Lex Moralis non tantum doctrinæ, uerumetiam uitæ ratione est in Ecclesia retinenda & exprimenda.

EX SACRIS.

Matth. 5.

Non ueni soluere legem.

Ibidem.

Amen dico uobis, donec prætereat cœlum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit de lege, quoad omnia facta fuerint.

Ibidem

Qui soluerit unum ex minimis illis, & docuerit sic homines, erit minimus in regno cœlorum.

Ibidem.

Repetitur tota propemodum lex ad Apostolos.

Rom. 3.

Legem non tollimus, sed stabilimus.

Rom. 13.

Repetuntur pleraq; præcepta ad credentes.

Psal. 1.

In lege Domini uoluptas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

EX LVTHERO TOMO 7. folio 27.

Volo (inquit Christus) ut omnia purè & perfectè doceantur & seruentur, & ne minimum quidem de lege omittatur.

In

In Gene. Tomo 2. folio 57.

Ad legem pertinet, ut accommodes uoluntatem tuam, & iubenti Deo pareas seu obtemperes.

De uotis Monasticis.

Opera Decalogi non possunt magis omitti quam ipsa fides: Nec sunt minus necessaria, quam fides.

EX AVGVSTINO IN lib. de spiritu & litera Cap. 14.

Præcepta legis tam sunt utilia, facienti quoq; salubria, ut, nisi quis ea fecerit, uitam habere non poßit.

VIII. CAPVT.

DE IIII. REGVLA.

Abrogatio legis uel libertas Christianorum à lege debet intelligi de maledicto, comminatione & pœna, non de præceptis, pædagogia, admonitione, obedientia &c.

EX SACRIS.

Matth. 5.

Non ueni soluere legem.

Ibidem.

Qui soluerit unum de minimis istis, & docuerit sic homines, erit minimus in regno cœlorum.

Rom. 3.

Legem non tollimus, sed stabilimus.

Rom. 6.

Non estis sub lege, sed sub gratia.

Gala. 2.

Christus liberauit nos à maledictione legis.

EX LVTHERO

De Votis Monastisticis.

Opera Decalogi non possunt magis omitti quam ipsa fides: Nec *sunt minus necessaria, quam fides.*

Tomo 3. folio 3.

Accedente Christo cessat Decalogus, non quod præstari amplius à nobis non debeat, sed quod officium & ministerium Mosis cesset.

Ibidem folio 405.

Non abijcit Euangelium legem. Est enim lex quoq; uox, cui parere omnes æquum est.

Ibidem folio 577.

Media igitur uia est, quod Deus omnia concludit in misericordiam. Non quidem tollit legem. Nam hæc uita sine lege non potest consistere. Quæ enim Reipub. forma futura esset, si cædes, adulteria, furta impune fierent? Deinde oportet etiam piorum exercitia uerbo Dei regi. Ad hunc usum relinquit Deus legem, & accipit eam pro obedientia in ijs, qui credunt.

Tomo 6. folio 156.

Lex non sic sublata intelligi debet, quasi moraliter nihil faciendum, quasi nunc ex legibus liceret pro libidine uiuere & cupiditatibus libere indulgere. Absit, Sed ablata est in cordibus nostris, ne nos accuset, ne amplius sit uirtus peccati.

Ibidem folio 165.

Ita includitur in uocabulo filij libertas Christiana, qua liberati sumus à Mose & ministerio mortis. Hæc tamen intelligenda quoad spiritum de nouo homine: Vetus homo manet sub lege.

Ibidem folio 167.

Renati etiam secundum ueterem hominem sunt sub sceptro exactoris: Et opus habent legis doctrina, admonitione & correptione &c.

Ibidem.

Carnis libertas nihil operatur boni. Carnem necesse est esse sub lege.

Tomo 5. folio 413.

Quare meminerint pij se in conscientia coram Deo iustos esse, liberos à maledicto, à peccato & morte propter Christum: Corpore autem esse seruos. Hic alter alteri per caritatem iuxta hoc Pauli præceptum seruire debet.

IX. CAPVT.

DE ERRORIBVS in hac materia.

EX SACRIS.

Matth. 5.

Qui soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum.

EX LVTHERO

Tomo 5. folio 271.

Indies nouas hæreses suscitat Satan Deus ille factiosorum hominum: Et proximè hanc, quam minimè omnium præuidissem aut sperassem, scilicet eorum, qui docent Decalogum tollendum ex Ecclesia, nec homines per legem terrendos, sed per Christi gratiam suauiter monendos esse &c.

Tomo 6. folio 255.

Meritò igitur ANTInmos reprehendimus, qui affirmant comminationes legales in Ecclesia non habere locum &c.

In Gene. Tomo 2. folio 118.

Perniciosi igitur Doctores sunt, qui hodiè nescio quibus occasionibus inducti, contendunt

legem in Ecclesia non prædicandam. Tu scilicet legem non doceres, ubi uerus legis populus est, scilicet, auari, superbi, usurarij, idolatræ.

Ibidem folio 119.

Hodiè multos inuenias, qui offenduntur necessaria legis prædicatione, eamq; fugiũt. Dicunt enim grauare suas conscientias, cum talia audiunt. Sed hi an non suaues Christiani sunt? Peccare non desinunt, indulgent auaritiæ, iræ, libidini, commessationibus &c. Hæc peccata cum audiunt reprehendi, offenduntur & nolunt conscientias grauari. Ergo sinamus singulos facere quodlibet, & prædicemus eos beatos? Minimè. Audis enim Sodomæ incendium proponendum omni posteritati, ac quidem ipsi Ecclesiæ Dei, ut discant homines timere Deum.

Ibidem folio 123.

Papa nihil prædicauit quam terrores. Contra nostri PSEVDOPROPHETAE hodiè nihil uolunt doceri, quam Euangelium & promissiones, qui error penè nocentior est.

Ibidem.

ANTINOMI noui isti Prophetæ contendunt homines tractandos suauiter nec terrendos iræ diuinæ exemplis: Sed diuersum Paulus dicit 2. Timoth. 3. ubi dicit, Scripturam etiam utilem ad obiurgandum & castigandum, ut homo Dei sit perfectus & ad omne bonum opus paratus.

In Gene. Tomo. 2. folio 175.

Explodamus igitur ANTINOMOS, qui legem ex Ecclesia eijciunt, & pœnitentiam per Euangelium docere uolunt.

Ibidem.

Digni igitur omni odio sunt ANTINOMI, qui nostro exemplo se defendunt.

In 1. disputatione contra Antinomos.

ANTINOMI perniciose docent legem Dei simpliciter tollendam esse ab Ecclesia, id quod blasphemum & sacrilegum est.

In 2.

In 2. disputatione contra Antinomos.

Isti Satanæ discipuli uidentur cogitare legem esse temporalem, quæ sub Christo cessauerit, ueluti circumcisio.

In 3. disputatione contra Antinomos.

Hostes legis oportet ipsam orationem Dominicam quoq; tollere, dum tollunt legem.

Ibidem.

Nulla unquam est audita uel futura frons impudentior, quam illorum, qui legem tollendam esse docent.

In 4. disputatione contra Antinomos.

Qui legem docendam esse negant, simpliciter & reuera nullam pœnitentiam esse uolunt.

In 5. disputatione contra Antinomos.

Prorsus imperiti & mentium deceptores

sunt

ſunt, qui legem ab Eccleſia tollere uolunt. Hoc enim non ſolum eſt ſtultum & impium, ſed etiam impoßibile.

Ibidem.

Si fingunt ſuam Eccleſiam ſeu auditores ſimpliciter eſſe omnes pios & ſine lege Chriſtianos, oportet eos prorſus inſanire & neſcire, quid loquantur aut affirment.

In 6. contra eoſdem diſput.

Nihil iuuat ANTINOMOS, quod gloriantur ſe de Deo, Chriſto, Gratia, Lege &c. plurima docere. ANTINOMORVM Confeßio ſimilis eſt illi, ubi Dæmones clamant, Tu es Filius Dei uiui, Lucæ 4. & 8.

Ibidem.

Quicquid de Deo, Chriſto, Fide, Lege, Gratia &c. loquuntur ANTINOMI, ſine intellectu, ut Pſitacus ſuum Χαῖρε, loquuntur.

Ibidem.

ANTINOMI uitandi ſunt, ut licentiæ & indulgentiæ ad omnia facinora peſtilentißimi Magiſtri: Non enim Chriſto, ſed ſuo

VENTRI seruiunt, & hominibus PLACERE uolunt, à die humano GLORIAM quærentes.

EX D. PHILIPPO in explicatione Symboli Niceni Cap. de bonis operibus, quæst. I.

ANTINOMI & ANABAPTISTAE deleta hac norma (Decalogi) *concedunt infinitam licentiam contra uocem diuinam.*

EX VRBANO REGIO in libro de formulis caute loquendi

Quidam dum de lege diuina eiusq; officio apud plebem doctrinam Pauli docere conantur, non erubescunt sic dicere: Die zehen Gebot sind vns nicht gegeben worden/ das wir sie halten sollen. *Hic sermonem abrumpunt & alio properant, ubi maximè opus esset prolixius & clarius ostendere, cur data sit lex, cum tamen peccatorem non poßit iustificare. Certè qui talia audiunt, nisi Paulum exactè intelligant, non poßunt non offendi. Statim enim cogitant in meditatione aut exercitio legis & bonorum*

bonorum operum non esse uersandum, & porro licere, ut furemur, adulteria perpetremus & cædes. Tam impiæ etiam uoces publicè traduntur ab eis, post auditas tam insulsas conciones.

LIBER TERTIVS DE LIBERTATE CHRIstiana.

I. CAPVT.

REGVLAE QVAEDAM.

I.

Libertas Christiana consistit in immunitate ab oneribus quibusdam spiritualibus.

II.

Eius libertatis tres potißimum sunt gradus.

1. Est libertas à culpa & pœna uel à peccato & morte, hoc est, à reatu uel formali peccati & à morte æterna.

2. Li

2. Libertas à lege Mosaica Morali, quoad comminationes, accusationes, maledictiones & condemnationem. Huc accedit etiam libertas à toto Iudaismo, hoc est, à ritibus Leuiticis & legibus forensibus.

3. Libertas à traditionibus Ecclesiasticis humanis, quoad necessariam earum obligationem & obseruationem.

Hi sunt principales & quidem etiam uniuersales libertatis Christianæ gradus: Interdum fit etiam mentio donorum per gratiam, quæ cum libertate Christiana coniuncta sunt, & ratione libertatis contingunt.

III.

Ex his fundamentis sequuntur hæc corollaria.

1. Quod libertas illa non tollat nec Euangelica nec Legalia Decalogi præcepta, nec leges Magistratus politici cum uerbo Dei non pugnantes, nec mandata parentum, præceptorum & Dominorum cum uerbo Dei non pugnantia.

2 Quod non tollat etiam nec obedientiæ erga Deum, nec obedientiæ erga Magistratus, parentes, præceptores & Dominos, nec ullorum operum bonorum necessitatem & obligationem.

3. Quod

3. Quod nullam neq; adferat neq; constituat neq; confirmet nouæ obedientiæ & bonorum operum libertatem.

IIII.

Hæc est usitatißima omnium orthodoxorum in istis capitibus doctrina.

Isti uero soli illi contradicunt, qui nouæ obedientiæ & bonorum operum libertatem asserunt. Sed tales usitatißimo nomine paßim ab omnibus Orthodoxis ANTINOMI nuncupantur. Iisdem etiam LIBERTINORVM, ADIAPHORISTARVM &c. nomina conueniunt.

II. CAPVT.

DE TESTIMONIIS.

EX SACRIS.

Iohan. 8.

Si filius uos liberauerit, uerè liberi eritis.

2. Cor. 3.

Vbi spiritus Domini, ibi libertas.

Gala. 4.

Qua libertate Christus nos liberauit, state, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.

1. Cor. 6. & 10.

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.

Gala. 2.

Falsi fratres subintroierunt, explorantes libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in seruitutem redigerent, quibus neq; ad horam cesßimus per subiectionem, ut ueritas Euangelij permaneret apud uos.

Gala. 5.

In libertate igitur, qua Christus nos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini.

Coloss. 2.

Nemo uos iudicet in cibo aut in potu aut in parte diei festi.

EX LVTHERO
Tomo 2. folio 5.

Hæc est Christiana libertas, fides nostra, quæ facit, non ut ociosi simus, aut malè uiuamus, sed ne unquam opus sit lege aut operibus ad iusticiam & salutem.

Ibidem folio 11.

Non

Non liberi sumus per fidem Christi ab operibus, sed ab opinionibus operum, id est, à stulta præsumptione iustificationis per opera quæsita.

Ibidem folio 280.

Neq; enim libertas Euangelica est posse omittere mandata Dei.

Ibidem.

Libertas Euangelica est libertas conscientiæ, qua soluitur conscientia ab operibus, non ut nulla fiant, sed ut in nulla confidat.

Ibidem.

Conscientia libera est ab omnibus operibus, non quidem faciendis, sed accusantibus & defendentibus.

Ibidem folio 283.

Libertas Euangelica regnat in iis solum, quæ geruntur inter Deum & teipsum, non inter te & proximum.

Tomo 3. folio 3.

Accedente Christo cessat quoq; Decalogus, non quod præstari amplius à nobis non debeat, sed quod officium et ministerium Mosis cesset.

Tomo 4. folio 156.

Lex non ſic ſublata intelligi debet, quaſi moraliter nihil faciendum, quaſi nunc ex legibus liceret pro libidine uiuere, & cupiditatibus libere indulgere. Abſit, ſed ſublata eſt in cordibus noſtris, ne nos accuſet, ne amplius ſit uirtus peccati.

Ibidem folio 165.

Ita includitur in uocabulo filij libertas Chriſtiana qua liberati ſumus à Moſe & miniſterio mortis. Hæc tamen intelligenda, quoad ſpiritum de nouo homine, Vetus manet ſub lege.

Ibidem folio 166.

Libertas à peccato, lege, morte & Diabolo non eſt libertas carnis, quam mundus ſolet expetere: Et hi nunc etiam, qui uolunt Euangelici haberi: Fremunt & furunt, ubi uel leuiter taxantur, nec ſuſtinent audire corripientes & admonitiones. Volunt libertatem tantum prædicari, nec uicia & flagicia taxari à nobis &c.

Ibidem folio 167.

Carnis libertas nihil operatur boni. Carnem neceſſe eſt eſſe ſub lege.

Ibidem folio 260.

Libertas non eſt libertas carnis, ſed ſpiritus.

tus. In carne nulla debet esse libertas. Debemus enim subiecti esse parentibus, Magistratibus, & in summa omnium serui esse. Sed in spiritu & conscientia sumus liberi.

Tomo 5. folio 413.

Quare meminerint pij se in conscientia coram Deo esse liberos à legis maledicto, à peccato & morte propter Christum: Corpore autem esse seruos. Hic alter alteri per caritatem iuxta hoc Pauli præceptum seruire debet.

Ibidem folio 414.

Paulus dicit, Caritatem debere esse SERVAM, et nisi sit in officio SERVITVTIS, non esse caritatem.

In Gene. Tomo 2. folio 34.

Habet igitur libertatem homo, non talem, ut si Deus aliquid præceperit, poßit id facere uel non. Quod enim ad præcepta Dei attinet, non est homo liber, sed debet obedire uoci Dei, aut sustinebit sententiam mortis. Libertas autem est illorum, de quibus Deus non præcepit in externis functionibus. Liberum est in mensa sumere uel pira uel poma, bibere uel zithum uel uinum, uestiri uel albis uel atris, ire uel ad hunc uel ad alium amicum. In talibus rebus electionem homo

habet, & certum est etiam hæc libera opera fieri cultus Dei & placere Deo, si ambules in fide & maneas in præceptis Dei seu bona conscientia. Hæc utiliter docentur.

Ibidem folio 9.

Obedientia uera est non facere, quod tu elgeris uel tibi imperaueris, sed quod Dominus per uerbum suum iusserit.

In Thematibus Anni 22. Themate 116.

Libertas Euangelij non tollit res & corpora aut debita hominum.

De uotis Monasticis.

Opera Decalogi non possunt magis omitti quam ipsa fides: Nec sunt minus necessaria quam fides.

EX D. PHILIPPO MElanthone, in explicatione Symboli Niceni cap. de bonis operibus quæst. 4.

Liberatio à lege non est talis laxatio, ut lex, id est, sapientia & insticia in Deo desinat, quæ ordinat, ut rationalis creatura sit ipsi conformis.

In Comment, ad Rom, cap. 8.

Libertas

Libertas Euangelica liberat renatos, ne condemnentur à lege, non liberat, ne obediant. Manet enim æternus & immutabilis ordo, ut Deo obediamus.

In disputatione de dicto, Fide iustificamur.

Liberi sumus à lege, nō ita ne fiat, sed quia obligatio cessat iustificationis per legē quærendæ.

Disput. 20.

Omnes creaturæ necessario debent obedire. Itaq; neq; à Decalogo, neq; à politicis legibus liberati sumus, quod ad obedientiam attinet.

Talia uerò dicta ualdè multa sunt in multis D. Philippi disputationibus seu propositionibus.

EX AVGVSTINO IN Iohan. Tractatu 41.

Ex parte LIBERTAS, *ex parte* SERVITVS.

EX GREGORIO Nazianzeno.

Νόμοις ὑποκεῖσαι καὶ κανόσι δεσποτικοῖς, καθ' οὓς σε προσήκει ζῆν, καὶ τοῦτο ἀπὸ σαυτοῦ πρῶτον κατανόησον, ὅτι καὶ ἡ ψυχή σου πανταχόθεν τοῖς τῆς ἀρετῆς ὑπόκειται παραγγέλμασι. Ἔλαβες καὶ σῶμα παρὰ τοῦ κτίσαντος πέντε αἰσθήσεσιν εἰς τὰς

τῆς

τῆς ζωῆς χρείας οἰκονομουμένων. εἰσὶ δὲ οὐδὲ αὗται ἐλεύθεροι καὶ αὐτόνομοι, ἀλλ' ἑκάστη δούλη νόμων ἐστί.

EX VRBANO REGIO in locis Theolo. cap. de fide, caritate, spe.

Fides non liberat ab operibus bonis, sed tantum ab opinione operum, nequis præsumat se iustificari per opera.

Ibidem Cap. de libertate.

Christianus sic est liberrimus & omnium dominus, ut eoipso omnium quoq; seruus officiosißimus & subiectißimus esse cum poßit, tum debeat. Rom. 13.

Ibidem.

Christiana libertas in spiritu est, nequaquam in occasionem carni danda Gala. 5. aut prætextus maliciæ facienda 1. Pet. 2.

In formulis caute loquendi.

In carne possumus esse serui omnium & simul in spiritu esse liberi, non à debitis & seruitute ciuili, sed à peccato, morte & inferno, ut iam peccatum & Satan nobis non dominetur, sicut antea, cum essemus sub tyrannide Diaboli, & nondum eramus in Christi gratiam & regnum recepti.

III. CAPVT.

DE ERRORIBVS in hac materia,

EX SACRIS.

In Epiſtola Iudæ.

Subintroierunt quidam homines, qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium, impij, Domini noſtri gratiam transferentes in luxuriam.

Ibidem.

In nouißimis temporibus uenient illuſores ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus.

EX LVTHERO In 6. diſputatione contra Antino.

ANTINOMI *uitandi ſunt, ut licentiæ & indulgentiæ ad omnia facinora peſtilentißimi Magiſtri. Non enim Chriſto, ſed ſuo* VENTRI *ſeruiunt &* *hominibus* PLACERE *uolunt, à die humano* GLORIAM *furenter quærentes.*

In Matthæ. Cap. 9.

Christiana libertate hodiè abutuntur plurimi, dicentes gratia, gratia. Ergo non est opus bona facere aut mala pati. Hi faciunt ex gratia luxuriam, id est, propriam libidinem faciendi, quæ uolunt, & ex remißione peccatorum licentiam peccatorum, ut hodiè multi nimis.

EX VVELLERO IN prima parte Postillæ, folio 161.

ANTINOMI & homines carnales, quos Paulus ψυχικοὺς appellat, non rectè docent nec sentiunt de abrogatione legis seu libertate Christiana. Hi enim libertatem Christianam existimant esse libertatem quandam carnalem, ut liberius uiuant & frena laxent cupiditatibus: Deniq; ut sint prorsus ἄνομοι, hoc est, ut strenuè omnes diuinas & humanas leges contemnant, Das sie nu thun mügen/ vnd leben/ wie sie wollen. In hoc illud conuenit 1. Pet. 2. Velamen malitiæ habens libertatem. Quia sub prætextu Euangelij ac libertatis Christianæ omnis generis scelera &

ta & flagitia admittunt, & pergunt ruere ex ἀνομία ἔις ἀνομίαν.

Ibidem folio 176.

ANTINOMI docent, Christum nos ita liberasse à lege, ut iam in posterum liceat uiuere ex animi sententia, ac liberum nobis sit, bene operari uel secus. Incredibile est, quam periculosa sit hæc doctrina de indifferentia operum.

Ibidem folio 366.

ANTINOMI ut plausibile aliquod dogma adferant, docent indifferentiam operum. Alij hoc suum speciosum dogma pingunt & ornant dicto illo Pauli: Iusto non est lex posita. Ideo ratiocinantur Christianos solutos esse omni obedientia erga legem Dei, nec quicquam referre siue benè siue malè operentur. Hoc specioso argumento fucum faciunt uulgo, quo minus libertatem Christianam à libertate carnali discernat.

Ibidem folio 441.

ANTINOMI docent nihil referre

quomodo.

quomodocunq; uiuant renati: Et licentiam peccandi concedunt & confirmant.

Folio 595.

Nostra ætate extiterunt Phanatici, Anabaptistæ & ANTINOMI, quorum alij communionem bonorum ad salutem necessariam esse contendunt: Alij indifferentiam operum docent. Vtrisq; idem propositum est, ut summum Articulum doctrinæ Christianæ opprimant ac Christum sepeliant.

FINIS.



